

QVOD BENE VORTAT! 19

ORACULA  
SIBYLLINA,

EXERCITII GRATIA,

Annuate Amplissimo, qui Aboæ est,  
SENATU PHILOSOPHICO,

Et

PRÆSIDENTE  
VIRO CELEBERRIMO,

DN. JOHANNE Weunster/

Phil. Practicæ & Hist. Prof. Regio,  
Pastore in Lundo adcuratissimo.

In gratiam Φιλομάσων  
modo qualicumque adumbravit,

Et publicæ ἐξετάσει modeste submisit

Die 6 Junij Anni Χειροτονίας M. DCC. III.

JACOB FLACHSENIUS. J. F.

EXC. JO. WALL.

SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS

Speçtatæ Fidei

VIRO,

GENEROSO DOMINO

DN. JOHANNI

Lillienstedt

SECRETARIO

Collegii Revisionis longè

Consultissimo,

DOMINO

meo Propensissimo.

TRANQVILLAM VITAM, PRO-  
SPERA FATA

&

ANNOS BENE MULTOS!

GENEROSE DOMINE,  
PROMOTOR PROPENSISISIME.



Accurate tenendum duxit  
Poëtarum Coryphæus Ho-  
ratius, ne majora quis uno  
quam tentaret, quam vires ejus pa-  
tiuntur, aut fert conditio, cum dixit:  
*Sumite materiam vestris, qui scribitis, æquam  
Humeris* ----

Quod quamvis potissimum obser-  
vandum velit iis, qui literario cui-  
piam argumento expoliendo sunt  
laboraturi, dubium tamen nullum  
est, quin idem velit observatum iri  
ab illis, qui opusculis suis sunt ambi-  
turi patrocinia: tantoque nunc ego  
confundor magis, quo æquiore lan-  
ce perpendo, quam sit futura auda-  
ciæ plena res, & fortis non mea, si  
tenuem hanc opellam Academicam  
AMPLISSIMÆ TUE DIGNITATI dedican-  
do, molestias eidẽ sim ausus creare.

Hoc

Hoc audaciæ non processissem, nisi  
cognitus mihi probe fuisset favor  
TUÆ GENEROSITATIS plane singularis,  
& benevolentia propemodum in-  
audita, erga omnes qui literis ope-  
rantur: quâ, non secus ac magnes  
solet trahere ferrum, omnes ferè ad  
Te allicis, meque erexisti in spem  
veniæ, quod occasione isthac cupi-  
verim Tibi commendari, fo verique  
eâdem AMPLISSIMÆ BENIGNITATIS TUÆ  
aura, haud secus ac tenelli foetus, ad  
solis radios plerumque expositi, be-  
nigno eorum calore foventur, & ro-  
bur acquirunt solidius. Nec silebo  
addidisse mihi calcar in hoc meo in-  
stituto, quod sciam TE GENER. DN.,  
prono semper fuisse animo in eos,  
qui beati mei Parentis domui sunt  
devincti, quos benevolo affectu pro-  
sequi non dedignaris, uti nec Patrē  
desideratissimū quamdiu in vivis e-  
rat,

rat, ex imio loco habere desisti. Dùm  
itaq; specimen hoc leve **AMP: T: DIGN:**  
dedicare sum ausus, humilimè oro,  
velis **GENEROSE DOMINE**, serenâ illud  
excipere fronte, placatis oculis sub-  
jectissimi animi monumentum in-  
spicere, & Clientum humilimorum  
in numerum, me benignissime ado-  
ptare, respectu habito non tam ad  
muneris pretium, quam animi offe-  
rentis humilitatem. Ipse quamdiu  
salvus ero, non cessabo **Supremum**  
ardentissimis precibus invocare **NU-**  
**men**, faciat vigere **AMPLISS: T: DIGN:**  
semper felicem, vivere incolumem,  
operariq; Patriæ commodis successu  
exoptatissimo, In **Gloriam DEL**, U-  
sum **Insignem REGIS Invictissimi**,  
**Nobilissimæ Tuæ Familiæ decus &**  
**fulcimentũ**, quod voveo ex animo

**AMPLISSIMÆ TUÆ DIGNITATIS**

*Cultor humilimus*

Jac. Flachsenius.

In

Eruditam Dissertationem Academicam

De

ORACULIS SIBYLLINIS,

*Per Eximii & virtutum splendore Ornatissimi*

DN. JACOBI JAC.

FLACHSENI,

S. R. M. Alumni dignissimi,

Et Parentis summè olim Reverendi  
filii haud degeneris,

GRATULATIO:



*Q*uanta SIBYLLINIS tribuenda est gloria,  
*scriptis,*

*Venturas rerum series narrantibus, istam  
Edoet in presens JACOB FLACHSENIUS alter,*

*Qui premere instituit Magni vestigia Patris  
Ejus & ad votum Parnassi scandere culmen.*

*Macte! tuis studiis adsit benedictio Christi*

*Qua superare queas oritura obstacula, plaude!*

â Patruo L. Mqj. sed citissime  
scripta

JOH. FLACHSENI,

S. S. Th. D. & Prof. Primario.



## LECTORI CORDATO

ἔϋ Πράτλαν!



Quamlibet gentem, naturā,  
ad religionem qualemcunq;  
proclivem esse, nemo infir-  
cias ibit; nam etsi omnes  
non vere religionis hauser-  
int notitiam, innata tamen illis est cupido  
quedam religionis. Cui colende etiam sum-  
mam dant operam, imo, tantam, ut impensis  
omnibus posthabitis, non desistant prius, quam  
numina sibi quaedam acquisiverint; denique,  
cum aliqua sibi paraverint, illa statim suis  
ornant nominibus, ceu patet ex historiogra-  
phis: Sic legere est Persarum Deum audisse  
Orismada, quasi ignem sacrum, vel lucem  
divinam, Ægyptiorum Serapim, vel juxta  
quosdam Apim. Greci, ut plurimos habue-  
runt Deos, ita permulta etiam apud illos  
usu fuere nomina: ut Pallas, Pan, Saturnus,  
Apollo Neptunus &c. Nec segnius varia

A

suis

suis imponere Diis, nomina, Romani, tam propria quam adpellativa, hinc vel majores vel minores, vel geniales, vel indigetes, vel communes & genios suos habuere, qui propriis nominibus appellati: Jupiter, Mars, Victoria, Vulcanus &c. Varro, qui Ethnicorum deos precipua conquisivit diligentia, supra triginta millia commentitiorum numinum se reperisse annotavit. Præter hæc omnia, Romanos etiam habuisse loco numinum, libros quosdã, quos oracula adpellarunt Sibyllina, illosque variis adisse casibus, invenimus. Hi ipsi, à nonnullis hæc absurde libri vocati sunt lintei, ut inferius cum DEO ostensum ibimus. Non è re fore hæc vice ducimus enumerare plures libros ejusdem cum hisce Sibyllinis pretii, eidem usui cum his applicatos, & inter sacros non minus, quam hi adhibitos, quales inclarkerant, tum apud Ægyptios, ut liber rubris literis conscriptus, quem ab accipitre ductum narrat Edoardus de relig: Gentil: tum apud Græcos, ut Eleusini sacrorum ritus demonstrantes, libri Apollinis, Etruscorum, Augurales, Haruspiciis exti-



extispiciorum fata continentes, Fulgurales, & denique rituales, ritus precipuos indicantes, cum id nec requirat presens nostrum institutum. Hoc tantum notamus, quod licet hos libros tanquam vaticiniorum plenos & sacros adduxerint gentiles, quo ita antiqui illorū assererentur cœtus, haud efficient tamen, ut ab idololatria specie, semet purgare queant, ut taceam, quod segetem errorum uberem populi ubique hoc foro demessuerint. Sed quid boni vel mali his eorum oraculis insit, precipue Sibyllinis, de quibus nunc impræsentiarum aliquid communisci animus est, & cui usui inservierint, ulterius deinceps disquirendum. Ut itaque proposito nostro nos accingamus, amicè, ipso in lumine, Cordatum obtestamur Lectorem, ne fronte asperâ, partem, quam præmissimus generalem intueatur, ceu superfluam, id enim faciendum nobis erat, ad majorem, titulo huic opellæ præfixo, illustrationē acquirendam; Imò, necesse fuit, occasione vocis Oraculi, aliquid fari de variis Gentilium Oraculis, ut his superficialiter patefactis, præsterneremus nobis quasi viam, ad ulterius con-

fide-

*ſiderandum Xpſiſtica Sibyllina in ſpecie.  
In omnibus autem brevitati litabimus,  
Eſt enim comis brevitatis ----*

§

*Nemo filens placuit, multi brevitare lo-  
quendi.*

*Non placuit nobis, cum nec decorum ſit, altos  
nimis § obſcuros in hac materia facere que-  
ſtionum ſinus, ſed ſimplicitati per omnia ſtu-  
dentes, modicè ubique progredi volumus:  
Interea, Lector, ſi forte fuerit tibi otium §  
voluptas pagellas haſce cognoscendi, petitum  
volumus, ne inter legendum ſi quedam inve-  
neris, quarum pridem notitiam hauſeras, ea  
tanquam vulgata aſperneris: nam quid uſque  
adeo in literis eſt reconditum, quin id ta-  
men compluſculi antea occuparint: Si autem  
quedam offenderis caſtiganda, materiam dif-  
ficilimam cogita, § mox lapſui ſponte ignoſ-  
ces: Nec qua aliter apud alios ſcripta legeris,  
prius nobis objicias, quam penſitaveris impri-  
mis tractationes rerum, § auctoritates Ho-  
minum, quos illi, quosve nos, ſecuti ſimus.*

Auxilio Patris, Gnati, quoque Fla-  
 minis alti,  
 Auspiciam capto, mihi sint oracula  
 fausta.

Ergo

*En tibi nunc Lector descripta oracula Divum,  
 Immotos tripodas, vastaque silentia rupis:  
 Antra Sibyllarum: Clariq; oracula spissa.  
 Quas fraudis technas Fraudator fraude  
 maligna*

*Protulit, ut caperet specie mortalia corda  
 Veri: Jam nullam reddunt oracula vocem!*

PARTIS GENERALIS,

§. PRIMUS.

**S**ingulis in rebus attendendum  
 esse ordinem, methodum, &  
 consuetudinem receptam, ne cla-  
 ve findantur ligna, & securi aperi-  
 antur januae, ut sonat adagium. Cui ge-  
 nuinum est Xenophontis: εἶσι δ' εἰδὲν εὐ-  
 τως ἔτε εὐχευσοῦ, ἔτε καλὸν τοῖς ἀνθρώποις, ὡς  
 ἡ τάξις, i.e. nihil hominibus prestantius, neq;  
 utilius ordine seu metodo. Hæc confide-

rantes, ne planè *àusod* in lucem prorumpat hic juvenilis noster labor, non indecorum fore existumavimus, si leviter saltem in fronte tetigerimus ipsam vocem *Oraculum*, ratione Etymologiæ & definitionis: *Omnis enim (monente Cicerone) quæ a ratione, suscipitur, de re aliqua institutio, debet a definitione proficisci, ut intelligatur quid sit id, de quo disputetur.* Viam nobis hac in re monstrat idem auctor gravissimus, cui uti vox derivatur ab *orare*, quod idem ac *dicere, fare aliquid*, ita ipsum definitur quod sit: *Responsum & oratio Deorum certa.* Isidorus deducit hanc vocem ab *ore*, quoniam per os responsa proferuntur. Utramque derivationem genuinam agnoscimus: Senecæ hæc arridet definitio: *Est voluntas divina hominum ore enuntiata.* Ut autem pateat eo magis, in quo propriè posita sit indoles oraculorum, vocamus nos ea responsa, quæ siscitantibus dabantur in certis & a Diabolo obsessis locis: vel à Dæmonibus ipsis, voce, somniis, gestu, nutuve aliquo statuarum, sonitu, tinnitu, aut aliis hujus modi,

modi, vel ab hominibus Diabolico spiritu affla-  
tis, qui tunc, cum de proposita quaestio-  
ne responsa danda essent, imperu vehe-  
menti, & sonitu horribili ex specubus  
elusus, in vates irruebat, eosque in fu-  
rorem, actos ita concutiebat, ut præ-  
tremore, palpitationeque omnium ar-  
tuum, nec consistere, nec sese continere  
possent. Inde phrasæ: *Edere, petere, fun-  
dere oracula*: illudque Virgilii

scitatum oracula Phæbi

Mittimus

Svetice redditur per Gud; Swar/ eller  
Berättelse aff GUD: Græci hujus modi  
oracula vocant χρησµές, χρησµωδίας,  
χρησµωδήµατα, µαντεύµατα, θεοπρόπια &  
θεσφατα: Orientales hanc vocem red-  
dunt per 𐤀𐤃𐤐, Divinationem, sagaci-  
tatem & oraculum, a radice 𐤀𐤃𐤐 divi-  
nare, quæ vox peculiariter, ad rerum  
futurarum præfagia pertinet, & in Græ-  
cis Bibliis ubique verbo µαντεύεσθαι effe-  
tur, veluti Deut. 18. & alibi. In latinis  
vero, vertitur verbo, vel *bariollandi*, vel  
di-

*divinandi.* Jam porro in varias oraculi inquirere acceptiones, nobis incumbit: Nam observante Justino Martyre τὸ λέγειν τι καὶ μὴ προσδιασέλλεσαι σημαίνόμενα, ἔην συγχεῖν. *dicere aliquid, nec ejus quod dicitur varias exponere significaciones, nihil aliud est, quam confundere.* Non solum itaque Dæmonum responsa, oraculorum nomine veniunt, sed ipse etiam locus in quo responsa edebantur, ut apud Ciceronem: *Hæ sunt nationes, quæ quondam tam longe ab suis sedibus Delphos usque ad Apollinem Pythium, atque ad oraculum orbis vexandum ac spoliandum profectæ sunt.* Hac acceptione vocis sumpta sunt oracula Ethnica, quæ sequentibus descripta extant pagellis. Utroq; vero, & hoc, & priori illo sensu accipimus hac vice oracula Sibyllina. Græcis oraculum, cum ipsum denotat locum seu templum, dicitur μαντείον à μαντεύωμαι, *vaticinor, auguro*, quia in illo loco vaticinia quævis peragebantur, & χρησῆριον a verbo χράω oracula consulo.

Ex-

Exposita sic propria notatione vocis, occurrit nobis impropria, qua ratione celebria & divina veluti dicta oracula audiunt. Ut apud Germanos: Ein warhafftiger bericht. Sic somnia, oraculorum insigniuntur nomine: Cic. *Exposui furoris & somnii oracula.* Sic multoties ipsis Bibliis oraculorum assignatur nomen. Iphisque Principum literis & mandatis: Symmach. *Neque enim te exhausterit, quod venerandi Principis mentem loqueris & oracula.*

§. II.

**H**ic parumper subsistendum, & sudentibus, tum more avito, tum sana ratione ventilandum τὸ ὄτι, quod detur revera tale objectum, nec sit quoddam fictitium, quod cum luce meridiana sit clarius, prolixa non eget probatione, nam, ut proverbio utar, *ad quid lucerna in meridie?* fulcimenta tamen quædam asserto nostro hic subicere placet. Militat quippè pro illis, tum conspirans omnium Historicorum synodus, tum

Eruditissimorum virorum labor improbus, in illis inquirendis, examinandis & describendis, quod non fecissent, si vera tale objectum non extitisset. Et finge, nunquam talia audita fuisse, ad quid ergò voluit DEUS tam severe eorundem usum interdicere?

## §. III.

UT vero occupatæ materiæ illustrandæ insistamus, expedit quorundam *in*itio delineare situm: Primo itaque loco describendū sese nobis offert oraculum „*Aristinum*. Quod ipsum situm est in „Libyæ nemore densissimo: Hoc nemus ternis mœnibus cinctum est, „intra quæ ipsa sedes oraculi posita. „Illud autem quod pro DEO colitur, „non eandem effigiem habet, quam „vulgo Diis artifices accommodarunt; „Umbilico tenus arietis similis est habitus, Smaragdo & gemmis *coagmentatus*: Quare vero in modum arietis sit fictus, varias varii afferunt causas, quas nunc consulto præterimus. Hinc  
suc-



succedit oraculum *Dodonæum*: Est autem  
 Dodone urbs Pelasgica in Theospro-  
 tide, in qua quercus erat, ibi etiam  
 oraculum mulierum fatidicarum fuit:  
 Ingredientibus autem illis, qui oracu-  
 lum consulebant, movebatur quercus  
 illa resonans. Mulieres vero loque-  
 bantur & dicebant consultoribus: *Ju-*  
*piter hec dicit.* & statua stabat in alto  
 virgam tenens: Prope statuam erat  
 lebes unde sonus Harmonicus, con-  
 cinnus & suavis edebatur, nam Dæ-  
 monum voces sunt inarticulatæ.  
 Post Dodonæum maxime in Græcia  
 celebre extitit oraculum *Delphicum*,  
 quod eleganter Justinus hoc modo de-  
 scribit: *Templum Apollinis* Delphis posi-  
 tum est in monte Parnasso, in rupe un-  
 dique impendente. Ibi civitatem fre-  
 quentia hominum facit, qui ad affir-  
 mationem majestatis undiquaq; con-  
 currentes, in eo saxo confedere: Atq;  
 ita templum & civitatem non muri  
 sed præcipitia, nec manu facta, sed  
 naturalia defendunt præsidia, prorsus

27 ut incertum sit, utrum munimentum  
 28 loci, vel majestas DEI, plus hic ad-  
 29 mirationis habeat. Media saxi rupes  
 29 in formam theatri recessit. Quam-  
 29 obrem & hominum clamor, & si quan-  
 29 do accedit tubarum sonus, personan-  
 29 tibus & respondentibus inter se ru-  
 29 pibus, multiplex audiri, ampliorque  
 29 quam editur resonare solet. Quæ res  
 29 majorem majestatis terrorem ignaris  
 29 rei, & admirationem stupentibus ple-  
 29 rumque affert. In hoc rupis anfra-  
 29 ctu, media ferme montis altitudine,  
 29 planicies exigua est, atque in ea pro-  
 29 fundum terræ foramen, quod in ora-  
 29 cula patet, ex quo frigidus spiritus  
 29 vi quadam velut vento in sublime  
 29 expullus, mentes *vatum in decor-*  
 29 *diam vertit Impletasque Deo responsa con-*  
 29 *sulentibus, dare cogit;* In hoc oraculo  
 vaticinia edidit Sibylla Delphica, ma-  
 xime præ reliquis celebris. Nec mi-  
 nori fama claruit oraculum *Trophonium:*  
 29 *Est illud supra lacum in monte, circum-*  
 29 *septum in orbem candido saxo: Ipsum*  
 cre-

crepidinis spatium arcæ minimæ hanc  
 excedebat magnitudinem. Intra ambi-  
 rum crepidinis est specus summa cum  
 industria excisus. Ejus subterraneæ  
 cellulæ latitudo, dimensa per rectam  
 lineam (ab imo ambitu ad summum)  
 cubita æquat plus minus quatuor, in  
 altum vero non ultra octo cubitos.  
 Uterius descendentem excipit ca-  
 vernula duarum spithamarum lata,  
 quoad altitudinem vero unius spitha-  
 mæ, terribilis, & plena tenebrarum  
 non quiescentium sed subinde contur-  
 batarum & exæstuantium. Præter hæc  
 quoque alia reperiuntur oracula an-  
 tris & cavernis superstructa, ut oracu-  
 lum *Sibyllæ Cumanae*, quod sic depingit  
 Plato: spectavi locum instar amplissi-  
 mæ Basilicæ, cavatum ex uno saxo  
 solido, in modicæ magnitudinis spa-  
 tium, ubi oraculum Sibyllæ fuisse,  
 narrant indigenæ: & cum eo Vir-  
 gilius:

*Spelunca alta fuit, vastæq; immanis hiatus,  
 Scrupea, sub lacu nigro, nemorumq; tenebris.*

Oraculum *Serapidis* apud *Alexandriam*, & *Apollinis Clarii* apud *Colophonem*: & plura, quæ præstat silentio præterire, quam illa enumerando lectorem fatigare.

§. IV.

Sic quibusdam oraculis simpliciter descriptis, considerabimus ( quantum vires ingenii permittunt ) quo auctore oracula sint inventa? Anceps sane quaestio & in utramque partem à viris Eruditis arbitrata: sunt qui ea in parte suam defixerant sententiam, ut impiè traderent, divino instinctu oracula cepisse, & postea conservata, *ita gubernante divina providentia*, quod ex his aliis beneficium, aliis supplicium conferretur: sed statim illa rejecta, utpote quæ sua absurditate seipsam destruat, monent non pauci: cum primis respiciendum esse ingenium & naturam illius, cui ea res præcepta est, & cura oraculorum demandata, nam si solummodo homines non bardi, nec stupidi, nec na-  
ris

ris obefioris, sed qui ænigmata flexuosa, poemata tortuosa, veriusque ambiguos proferre, variosque subito jactare griphos non inepte calluerant; Homines egregie fraudibus struendis idonei, qui aliis captionum multiformium laqueis insidiari optime edocti, in obscuro ambiguoq; sensu, in utramq; partem trahi facili, prout aliquis expectaverit eventum, astute confingendo, promptissimi fuerant, tales ( inquam ) si tantum adhibiti sint, opus non erat ullis præstigis, fallaciis & artibus Satanæ. Id quod, non solum conantur adstruere, præter multa illius præsidio exempli, quod à Curtio proponitur de Jovis Ammonis sacerdote, cum Alexander Magnus Philippi filius consuleret oraculum Hammonis, refert auctor Sacerdotem in adulationem compositum, incepisse *Ἀλεξανδρίσσαν*, i. e. ad *natum* beneplacitum & voluntatem Alexandri, munerum causa sermonem composuisse, sicut de Pythia geminum Demosthenes, eam voluisse *Φιλιππίσειν*.

Sed

Sed etiam pergunt in destruendis illis, quæ videntur sibi aliqua ratione contrariari: nam oracula, *ajunt*, & prodigia, quibus multitudinem fallunt, mirari nos ne subeat, ut ideo existimet quis, potentiori cuidam authori, quam homini, hæc esse tribuenda: illa omnia quippe fluunt ex causis naturalibus; nam cui in propatulo non est? dari varia genera radicum, plantarum, lapidum, & fructuum, tam sicca quam humida naturæ, prædita omnibus, & virtutibus & qualitatibus, quæ nominari unquam possunt: dari millena genera ejusmodi herbarum, quæ soporem gravissimum homini inferant, quæque insomnia, cum phantasmatis producant: Esse denique ipsis instrumenta & vasa in hujusmodi artes summa cum industria præparata. Nec minimo adjumento illorum conatibus (*inquiunt*) sunt loca illa tenebrosa & adyta, heic optima occasio adornandi multa, quibus imponere potuerant miseris consultoribus, nesciis plane quid in specu, quidve in loco

loco subterraneo gereretur. Et si quibusdam fuerit concessum intrare in loca illa adyta, visum ejus per frondes laureas, quibus illa erant obsepta, per suffimenta, thymiamata, aliaque fallaciis eorum conducentia, ita præpediunt, ut ne hilum quidem ipsis appareat. Cum itaque hæc omnia & multa alia ipsi homines efficere possint, quid opus est Dæmoni hæc effecta assignare?

§. V.

Postquam contrarias opiniones, & argumenta pro illis facientia, lustravimus, opus erit illa ipsa aliquo modo resolvere, tum mentem nostram, in tam arduâ re, indicare: Imprimis autem dicimus, concesso, dari homines tam subtilis ingenii, ut possint oracula quædam excogitare, vel saltem imitari, persuasum tamen mihi habeo, eos sapientiâ multo inferiores esse ipso Diabolo, in patrandis miraculis, in fallendis hominibus, & quæ sunt alia: liquet enim

maximæ esse illum calliditatis, sapientiæ  
 C plus-

plusquam humanæ, perspicacitatis accuratissimæ, vigilantia summæ, artificii technas struendi perniciosissimas incomparabilis, malitiæ infinitæ, odii erga genus humanum inexstinguibilis, atque hoc nomine, eum sæpe numero ( permittente id ad tempus DEO ) admirandas facere res, & in bestias, statuas, specus, latebras, & cavernas se ingerere: homines autem, cum tanta sagacitate non sint præditi, insufficientes esse in iis omnibus producendis, quæ ipsi technarum Magistro possibile sunt, nec adeo perspicaciter posse præscire futura ac ille: Quod autem tantæ sit prudentiæ, non ipsi tanquam omniscio tribuendum, sed, cum polleat incredibili *ουσι*, & tanta celeritate, ut in momento ubique possit circumvolitare, adeoque quid ubique geratur facillime percipere, mirum non est, si magis & sciat & calleat quam homo, vel sagacissimi ingenii: Sed ut propius rationes contrarias accedamus, non prætere-

re,



reundum puto argumentū illorum peti-  
 tum ex exemplo sacerdotis Hammo-  
 nii, quo tamen nihil in contrarium evin-  
 cunt, nam & in illo oraculo, Diabo-  
 lum edidisse responsa evidentissimum  
 est, eoque certius, quod potuerit id i-  
 psam quod respondit præscire ex ora-  
 culis Dan: quibus didicit, Alexandrum  
 subacturum totum orbem; sed quod  
 vates respondendo tergiversabatur, id  
 spe lucri factum, cum, ut ait Cicero:  
*Nullum esse aut videri queat officium, tam  
 sanctum & solenne, quod avaritia conte-  
 mnere non soleat.* Cæterum, nec firmiori  
 talo innititur ratiocinium illorum ulti-  
 mum, magis lingvæ orationisque com-  
 mendandæ gratiâ, quam studio pro-  
 bandi prolatum: scilicet opus non esse  
 hic arte aliqua præternaturali, & Dæ-  
 monicâ, cum dentur ejusmodi genera  
 herbarum, fructuum & plantarum, quæ  
 vires & facultates tales habent, quales  
 requiruntur in patrandis hisce mira-  
 culis. Item, oracula saltem ideo con-  
 dita esse in locis tenebrosis, & maxime

angustis ( in quæ descendere nulli præter sacerdotes licuit ) quo minus paterent fraudes humanæ: Quasi vero homines, hujusmodi herbarum virtutes tam exacte perspectas haberent, nisi à Magistro suo essent edocti, & quasi non usu veniret hodie adhuc id ipsum, ut in sanctum aliquem locum denegatum sit omnibus pro lubitu ire. Quid itaque mirum, si & gentiles tam stricte hanc servarint consuetudinem. Et tanto minus moveat id aliquem, quod in tenebris & locis caliginosis versare, suaque sacra peragi velit Dæmon, quanto pressius & clarius id nos docet S.<sup>a</sup> S.<sup>a</sup>, eum, tenebris delectari. Manet proinde hoc verum, non ab ulla corporea naturâ cepisse oracula, nec à terrâ omnis rationis experte hanc vim prædicendi natam ; sed Dæmonem, tanquam causam principalem, hanc notitiam vatibus suis infudisse, hujusmodi ædes struxisse, & his quasi *τεμπλίοις* suis illexisse homines, quorum ministerio, ut causâ instrumentali, uteretur.

**R**ejectis aliquatenus finistrè judican-  
 tium conjecturis, reverti ad illorum  
 calculos, qui, quâ occasione diabolus in  
 mundum primum introduxerit hæc do-  
 micilia, aperiunt, instituti ratio flagitat.  
 Factum autem id esse sequenti modo a-  
 junt. Ex S. a S. a in propatulo est, Noa-  
 cho tres fuisse filios, eosque aucta  
 familiâ, alios in alia secessisse loca,  
 & quidem *Semum* occupasse loca,  
 vergentia in orientem & meridiem,  
*Chamum* concessisse in meridiem &  
 occasum, *Japetum* in septentrionem &  
 occasum. Hi in domo paterna instru-  
 cti vero DEI cultu, eundem quoque  
 inter alias gentes propagare voluerunt,  
 ideoque condidere varia templa in ho-  
 norem DEI. Sed cum natura in su-  
 perstitutiones maxime sit prona, Diabo-  
 lus, cui hoc unicum semper cordi fuit,  
 ut gloriam DEI deformaret, non  
 destitit statim â diluvio, viventibus

adhuc filiis Noæ, impellere ingēnia mala ad novas & fallas opiniones serendas, clam suppeditatis seminib⁹. Eas imprimis insigni exquisitæ religionis specie vestivit, quo facilius animos deciperet stolidos; Deinceps, progressu temporis sensim auctis superstitionibus, in aliis locis plus vel minus, prout illos sequaces animadvertit, sopitâ atque extinctâ luce veræ doctrinæ, & evullâ prorsus ex animis omni memoriâ veri DEI, commiscuit fædas & promiscuas migrationes, vastationes terrarum, mansiones apud impias gentes & multa alia, ut his modis plane abolerentur omnes scintillulæ veræ religionis â majoribus traditæ. Hoc ubi clam fecisset Diabolus, palam incepit abstrahere homines â DEO, & ad se rapere: Cumque sic abolita vera doctrinâ, & plane posthabito DEI cultu, vagarentur animis, & ductu naturæ quærerent aliquod Numen, nec quæ sequerentur vestigia, invenirent, ex reliquis adhuc veteris

teris historiæ somniis, pro arbitrio fin-  
 xerunt DEUM, cui geminum nomen  
 authoris primi *Cham*, & veri DEI *Je-  
 hovah*, imposuere; confirmavit figmen-  
 tum diabolus miraculis editis, nutu ali-  
 isque signis, ex statuâ, quam in eo loco  
 collocarunt. Neque dubium mihi est  
 fuisse *Chami* Scholam eo in loco, ubi pos-  
 tea cultum est Hammonis oraculum  
 & Scholam *Dodanim* nepotis Noachi,  
 loco oraculi Dodonæi, præsertim cum  
 & nomina sibi invicem respondeant.  
 His duobus velut arcibus sui domini  
 constitutis, alia postea ubique gentium  
 accumulavit magno numero, donec has  
 technas Satanae, DEUS, mittendo filium  
 suum, penitus aboleri voluit. Nam ut  
 canit Prudentius,

*Ex quo mortalem præstrinxit spiritus alvum,  
 Spiritus ille Dei, Deus, & se corpore matris  
 Induit & hominem de virginitate creavit,  
 Delphica damnatis tacuere sortibus antra.  
 Non tripodas cortina tegit, non spumat anbelus*

*Fata*

*Fata Sibyllinis fanaticus edita libræ.  
 Perdit insanos mendax Dodona vapores,  
 Mortua jam, inerte lugens oracula Cumæ.  
 Nec responsa referi Libycis in Syreis Hammonis.*  
 Haftenus generalia de Oraculis vi-  
 dimus, succedit

PARS SPECIALIS  
 DE SIBYLLIS.

*Sex addas quatuor, tot sunt tibi fata canentes  
 Et res venturas, stimulat nam pectora Apollo.  
 Chaldæam Primam, merito presaga Libyssa  
 Excipit, & Delphis oriens: Cimmeria  
 quarta.*

*Vivax quinta Erythræa fuit, sed Samia  
 sexta,  
 Extat post sextam valem Cumana Si-  
 bylla:*

*Tertia post Quintam sicut Hellepontica vates:  
 Sic tandem sequitur Phrygiam, cui Patria  
 Tibur.*

## CAP. PRIMUM.

## §. I.

**N**unc ab universalibus ad particularia, à generalioribus ad specialiora devolvimur, quo pacto & ordini commodissimè inservitur, & discentium captui sapienter consulitur: Consideratis enim hætenus oraculis Ethnicis in genere, jam de Sibyllinis in specie nobis agendū. In quibus describendis, ut, remotis iis, quæ aliqua ratione nobis videntur esse impedimento, pergere liceat, paucis exponemus quorundam, præcipuè Peuceri, Symbolam de Sibyllis, cui album addere calculum tanto minus possumus, quanto magis abhorret à veritate; *sic*, autem, per vocem Sibyll. non indigitari aliquas mulieres fatidicas, sed saltem singularum gentium religiones, quas, ex unicâ, primâ & verâ religione depravatâ, pro naturâ & affectionibus suis, Diaboli adjumento & consilio extruxerunt, quibus semper aliquid prædictionum &

vaticiniorum de futuris mutationibus,  
aut eventibus, vel adversis, vel secundis,  
fuit admixtum. Imo dicit antiquitatem  
sacram hujusmodi nomen accommo-  
dasse doctrinæ cœlesti (ut etiam constat  
de voce Sambethe, quam ex *Sem & Ja-  
phet*, compositam, doctrinam ab iisdem  
propagatam vocarunt) posterosque de-  
inceps amissis jam monumentis sancto-  
rum, ut primorum authorum memo-  
riam grati retinerent, suis religionibus  
hæc applicasse nomina, tandem que quos-  
dam præfixisse illa Diaboli præstigiis,  
ut à sanctis Patribus manasse, & non te-  
merè cogitata esse crederentur ob indi-  
cium titulorum quibus venditabantur.  
Per Sibyllas itaque quæ celebrantur,  
Chaldaicam scilicet, Persicam, Lybicum,  
Italicam &c. notari tantum vult religio-  
nes illarum gentium, atque ita omnes  
gentes suas habere Sibyllas sequitur  
Quod judicium, si procederet, nec da-  
rentur ejusmodi Prophetissæ, meritò in-  
ter eos numeraremur, *qui aquam e pu*  
*mi*



*mice postulans.* Sed cum sint hæ meræ conjecturæ, ut fatetur ipse, nostræ nil derogant assertioni, leviora n. sunt, quam ut illam disjicere valeant. Neque enim fas est argumentari â testimonio humano negative, præcipue si plures in contrarium abeuntes prostent sententiæ, & quamquam contermini non fuerint earum temporibus Historiographi, vix tamen ideo fidem illis derogandam putamus; denique, multo minus obstaculo, quin vere exstiterint Sibyllæ esse potest, discrepantia Historicorum, cum occurrat ea saltem in minutissimis, quippe, haud raro dubios esse historicos etiam in certissimis, constat.

§. II.

Quin ipsam Historiam statim narrare liceat, remoram objicit nobis etymon ipsius vocis, quapropter istud etiam primum enucleandum venit; nam, *nominum notitia non parva res est*, inquit Plato. Nomen Sibyllarum notissimum quidem est quoad ipsum usum, sed quoad ori-

ginem & derivationem maximè obſcuro-  
rum, quare etiam multum torſit eru-  
ditos. Alii contendunt hanc vocem eſſe  
λεξιων ῥωμαικην, id eſt Latinam, & eſſe ejus-  
dem notationis cum vate ac Prophetiſſa.  
Sed cum fundamento plane careat hæc  
aſſertio, non nimium ei tribuendum  
putamus. Neque enim hæ mulieres  
origine fuerant Latinæ ſed Græcæ, ergo  
etiam Græco ornata nomine. Nonnulli  
hanc vocem exiſtumant eſſe orienta-  
lem & deducendam ex radicibus He-  
bræis vel כָּבַל, *recipere, accipere*. Et qui-  
dem ex vocabulo kabala, quarundam  
literarum mutatione, quæ vox doctri-  
nam ſignificat, non naturâ inſitam a-  
nimis, aut cum ſeminibus propagatam,  
neque uſu vel experienciâ animadver-  
ſam, neque ex naturâ erutam, ſeu ex-  
preſſam, neque ex libris humana ſapi-  
entiâ conditis depromptam, ſed pro-  
mulgatam divinitus, animisque ſancto-  
rum à DEO ipſo veluti infulam, & testi-  
moniiis cœleſtibus comprobaram: quâ  
ratione Sibylla idem eſſet ac receprix  
arca-

arcanorum DEI; quam derivationem ut nimis duram & longè petitam, suo linquimus authori, nec pro genuina libenter agnoscimus; juxta hanc enim dicendum foret, non Sibylla, sed Kibylla; vel à סבל *bajulare, portare*, inde סבולה, *Seboula*, tanquam si portatricem dicas, five quæ incolam habebat Pythium, quales etiam fatidicæ fœminæ *εγγαστρι μύθοι* dicuntur. Sed quomodo huic radici commodè adscribere possumus natales vocis Sibyllæ, cum natæ pleræquæ sint in Græcia, & non inter Hebræos; Unde non vana est conjectura, quod inde etiam suum tulerint nomen. Vocem hanc esse Hebræam quam maximè urgent qui Sibyllæ genus à Noacho deducunt, sed quo cum successu monstrabunt dicenda. Potius itaque, ut heic ab illis dissentiamus, cum Erasmo Schmidio, Lactantio plurimisque aliis ducimus, vocabulum Sibyllæ derivari à Græcâ dictione *σιός* DEUS, quia omnia *σείει*, & *βύλλα* *consiliaria*. Æolicâ *dia-*

dialecto pro θεός & βελή, atque sic Sybillam nuncupatam quasi θεοβέλην, *DE consiliariam*, arbitramur, nam frequentissime usu venit Æolicis ut loco θ, ponant σ, & pro ε, ι, quod etiam imitantur Laconici. In diphtongis autem geminare solent liquidam, vel pro subiectiva vocali, ut χέρρος, pro χείρος *ἰμματα* pro *ἔματα* &c. vel præpositivâ, ut hic βύλλα pro βελή. sic, σέλλανα pro σελήνη. Quemadmodum hæc omnia ad unguem monstrat Celeberrim⁹ Schmidt in tractatu suo de dialectis Græcorum. Plane itaque rejicimus sententiam Helychii nobis per omnia contrariam, quâ, refutaturus derivationem nostram ut ineptam, & â nobis ipsis fictam (quod minimè tamen ob rationes modo allatas probari potest) dicit: *σίβυλλα* est nomen formæ diminutivæ â *σίβη*, quod est Æolicum pro *σίδη*. Sic *ἀπὸ τῆς Ἡῶης Ἡβηλλα*, â *σηκὺς σηκυλλα*.

• O SIVO PUSIT §. III.

¶ Illa difficultate discussâ oritur altera, Videlicet, an nomen hoc sit proprium vel

vel adpellativum. Lactantius ipse du-  
 bitat hac de re dicendo: *Sibyllæ sunt à*  
*veteribus nuncupata, vel ab unius Delphi-*  
*dis nomine, vel a consiliis Deorum enunti-*  
*andis.* Salmasius tradit hoc nomen esse  
 proprium unius Delphidis, & postea aliis ob  
 scientiæ paritatem inditum. Apud Cæli-  
 um Rhodig: scripta reperimus hæc,  
 verba: *Dardanus* ex Samo profectus,  
 Teucrorum Regis filiam nomine  
*Neso* uxorem duxit, ex qua nata illi  
 filia vaticina nomine *Sibylla*, ex hac  
 in vaticinatrices omnes propagatum  
 est hoc nomen ob theophoriæ co-  
 gnationem quandam: quæ opinio fe-  
 re eadem est cum priori Salmasiana.  
 Nos asserimus nomen hoc esse adpel-  
 lativum & generale, quodque omnes  
 Τὸν μαντικὸν ἐλέσαι βίον veniant nomine  
 Sibyllarum, (vadentibus id, tum Ety-  
 mologiâ ipsius vocis, quæ inculcat  
 nobis esse nomen hoc ex officio illis in-  
 ditum, quod denuntient arcana Deo-  
 rum; sic, assumamus in exemplum vo-  
 cem ἀγγελῶν, ab ἀγγέλλω μίθο, quis in-  
 fici-

ficiabitur hoc vocabulum esse nomen officii, illis ideo competens, quod à DEO missi mandata ejus exsequantur. Pari ratione se res habet cum nomine Sibyllarum: cum mirò Eruditorum consensu: sic Antimachus: σίβυλλα ἔστι λέξις ῥωμαϊκὴ ἐρμηνευομένη προφητῆς, ἢ γυνὴ μάντις, ὅτεν ἐνὶ ὀνόματι αἱ θεῖαι μαντιδες ὀνομάσσονται. *Sibylla est nomen denotans prophetis- sam vel mulierem fatidicam, quia hoc uno nomine omnes vaticinatrices appellabantur.* Affirmant idem Peucerus, Isidorus & Servius. Non infitemur multorum authoritates in contrarium pugnantes, ast plures nostræ favent sententiæ, quæ veritate sua se cum primis commendat, ideoque à nobis tuenda. Vix diffiteri tamen possumus, quin translatum sic hoc nomen adpellativum, successu temporis, in proprium, nam variis in locis apud **Historicos** reperimus personas plurimas hoc nomine adpellatas esse, etsi vaticinatrices nunquam fuerint: sic **Albertus IV.** anno 1508. inter quatuor suas filias etiam unam, nomine *Sibyllam* ha-

habuit. Albertus Fredericus genuit filiam, quam adpellavit *Magdalenam Sibyllam*. Augustus, Francisci II. filius uxorem duxit *Elisabetam Sophiam*, quæ ipsi tres peperit filias, *Sophiam Margaretam, Annam Elisabetam, & Sibyllam Hedigen*. Nos hac vice de Sibyllis acturi non omnes describimus mulieres fatidicas, & Prophetissas, sed nobilissimas saltem, quæ arte vaticinandi præ reliquis celebres extitere.

§. IV.

**C**harybdin vitavi, in Scyllam incidere mihi videor, similis fugienti à fumo ad ignem: tot quippe hic prodeunt in medium opinionum monstra, ut ante sol occidat,

*Singula quam tenui possint memorarier ausu.*

Non enim convenit inter eruditos, quot, quæ, quibus temporibus, & locis, fuerint Sibyllæ; colligendæ itaque sunt aliquot celebriores sententiæ. Castellio unam tantum fuisse censet: cui sententiæ refragatur maxime, obser-

vante Xyfto Betulejo, immenfa illa longævitas huic Sibyllæ tunc attribuenda: In aprico enim eft 1770 annos interceffiffe tempora diluvii & Tarquinii, & illam tot egiffe annos, veritati non eft consentaneum. Martinus Capella duarum tantum Sibyllarum facit mentionem, non decem; fcilicet, Erophiles Trajanæ Marmefi filiæ, quam putat eandem effe cum Sib. Cumæa, nec non Symmachiae Hipporenfis filiæ, quæ Erythrarum nata apud Cumæos vaticinia edidit. Plinius author eft Romæ trium Sibyllarum fuiffe ftatuas juxta roftra: Unam, quam Pacuvius Taurus Ædilis Plebis erexit, Duas, quas Meffala. Solinus eas nominat, Erythræam feu Heriphilen, Cumanam, Delphicam: Ælianus in varia hift. quatuor ponit, Erythræam, Samiam, Ægyptiam, Sardiniam: Iftis alii duas addunt, Judæam & Cumanam: Varro adhuc quatuor superaddit ut fuppleat numerum denarium. Hunc ipfum quidam augent, constituendo easdem, vel undecim, vel duodecim, imo tre-



tredecim. Nonnulli conati fuerunt ex Sibyllis idem facere, quod Poëtae de Herculibus, Jovibus, Mercuriis & aliis fecere, qui, cum plures essent, Herculeo insigniti nomine, uni tantum Amphitruonis filio omnia applicarunt, par esto iudicium in Joves aliosve. Et hinc tot fluxere discrepantes sententiæ de Sibyllis: Alii Sibyllam Apollinis Lamiae filiam; Alii Aristocratis & Hydolis; Alii Grinagoræ; Alii Theodori Pastoris & Ideæ Nymphæ volunt. Tum de patria non minus dissident, sunt qui Erythream, qui Siculam, qui Sardiniam, qui Cumas, qui Gergetiam, qui Rhodiam, qui Lybiam, qui Samiam tradant. Nos, his opinionibus suis relictis Patronis, instructius fore & deliberatius arbitramur, si potissimorum ad stipulati fuerimus sententiæ: Quorum tantum abest ut aliquis numerum denarium imminuat, ut potius eundem summopere tueri satagat. Inter hos nominamus præcipuos, Varronē, Peucerum, Lactantium, Ludovicum Vivem

in August. Calovium, Alstedium, Antimachum & Schmidium, quos rectam calcasse viam mihi persvasissimum est, quorum etiam ad ductum veluti cynosuram & filum Ariadneum, hunc numerum defendendum suscepi: Majoris certitudinis ergo apponamus verba eorum. Σιβύλλαι δέκα, ὡς πολλοὶ ἐγγράφου, γέγονασιν ἐν ἀγαθοῖς τόποις, καὶ χρόνοις, τὸν αἰθερὸν δέκα, h. e. Sibylle igitur, ut multi scribunt, natae diversis locis, & temporibus, sunt numero decem. Quas nunc enumerabimus.

*Prima.*



SIBYLLA PERSICA.

Primo loco ponimus Persicam, nomine Agrippam, aliis nominibus adpellantur.

latam Babylonicam, Ægyptiacam, Hebræam, & Chaldæam. Huic inter Sibyllas antiquissimæ, tribuitur nomen proprium Sambethe, vel, secundum quosdam, Saba. Quorum nominum diversitas fluit, vel ex ignorantia veræ patriæ, vel quod multis in locis vaticinata sit. Hujus Patria constituitur Noe, oppidum vicinum rubro mari, parentibus Berofo & Erymanthe. Quod ipsū oppidi nomen ansam dedit quibusdam statuendi eam natam esse Patre Noacho, quam erroneam opinionem, nec parum auxere verba illa, quæ inveniuntur libro 3.<sup>o</sup> Sibyllinorum. ἐκ τῆς Νῶε μακαριωπέρας ἀιμαῖς ἐτέκτην, ex stirpe sanctissimâ Noachi nata sum. & lib. I.<sup>o</sup> dicit se effugisse ἀιπὺν ὄλεθρον, perniciem altam i. e. diluvium, cum Noacho, quod ipsum huic Sibyllæ tribuunt. Sunt quidam qui hanc fœminam fuisse cœtaneam Alexandro Magno volunt, ideoque Nicanorem quoq; inter res gestas Alexandri ejus mentionem fecisse. Alstedius tradit eam vixisse anno mundi,

Mille.

Millesimo nonagesimo nonagesimo. Vaticinia ejus perhibentur fuisse de Antichristo, regnorum mutationibus &c. Multo senio confecta, laxis ambulavit crinibus, nec deformem adeo præse tulit faciem, ut observant nonnulli.

*Secunda*



SIBYLLA LIBYCA.

Huic succedit Secunda, quæ Libyca seu Libyssa nuncupata; de hac nihil quod memoratu dignum proditum est. Fertur Græcis fuisse Jovis & Larniæ fatidicæ filia, cujus mentionem facit Euripides, quo superiorem eam fuisse plerisque placet. Secundum Alstedium floruit anno *M. bis millesimo sexcentesimo*

25 *viceſimo.* Non multam ad eò ætatem  
 exegiffe hanc Sibyllam, norant authores.

A nonnullis inſignitur nomine Eliffæ,  
 cum quo etiam ludunt illi ipſi, deri-  
 vantes id ab  $\text{E} \text{L}$  &  $\text{N} \text{U}$  *DEUS eſt*, quaſi  
 notet Eliffa, Doctrinam de vero, vivo  
 & exiſtente DEO. præcipue huic con-  
 jecturæ favet Caſp. Peucerus, aſſerens  
 quidem Sibyllas mulieres fuiſſe fatidi-  
 cas, ita tamen ut Sambethen & Eliffam  
 unam eandemque Patrum fidelium re-  
 ligionem fuiſſe judicet.

*Tertia*



SIBYLLA DELPHICA.

Sequitur jam tertia, Sibylla Del-  
 phica, cui etiam non minus quam pri-  
 mæ

mæ diversa nomina ab authoribus imponuntur. a Diodoro, Daphne, à Suidâ, Arthemio & Mantô, Tiresiæ vatis Thebani filia; à Pausaniâ vero & Salmastio Herophile adpellatur. Proprium ejus nomen fuit Themis, quo nomine adpellata est una ex tribus Jovis sororibus. Hæc Sib. fertur exstitisse circa annum *Millesimum ducentessimum* antenatum Christum, Juxta Alstedium anno *M: bis Millesimo Sexcentesimo octoagesimo*, antequam Troja excideretur: Arte vaticinandi superavit duas priores; Imo dicit Plutarchus eam ne mortuam quidem ab arte divinandi cessasse, verum illud quod ex ea recessit in aerem, post obitum esse id quod in fortibus divinat, & auguriis. Sunt qui narrent herbas ex corpore ejus mortuo, inque pulverem verso ortas, impressisse vim prædicendi futura extis animalium, & animam ejus constituisse lunæ faciem. Incertus quibusdam ortus ejus, pluribus tamen placet, eam vel natam esse Delphis, vel ad minimum abductam

esse Delphos captivam, ibique oraculo Apollinis celeberrimo vaticinia edidisse, quorum Symbolæ etiam nos patrocinaur. Clemens Alexandrinus & cum eo Pausanias in Phocaicis observant, eam cecinisse oracula & dedisse responsa ænigmatica super saxo ad Bu-leuterium constituto; unde etiam lapidi illi inhæsit adpellatio Saxi Herophilei. Hæc Sibylla vestibis nigris incedens, manu sua semper cornu quoddam gestavit.

Quarta.



SIBYLLA CUMÆA:

Describendam te nunc nobis sistit Italica Sibylla, sive ex Italiâ oriunda, Cumæa scilicet, quæ in ordine quarta est,  
 F quam

quam nos diversam facimus à Cumana, svadente idipsum etiam Patriam ejus diversam à Patria hujus. Illa namq; (*Cumæa*) natales suos debebat Cimmerico Campaniæ oppido ad Bosphorum constituto, vicino Cumis urbi Lucaniæ in Italiâ sitæ, hinc etiam Cimmeria vocatur: Sibylla vicissim Cumana ortum traxit ab ipsis Cumis Æolicis. Præterea Sibylla Cumæa longè prius floruit quam Cumana. Inhabitavit hæc ipsa speluncam quandam, unde oracula edere solita est: Etiam circa hujus nomina diversitas sese prodit Scriptorum. Alii, eam Demo, alii Symmachiam, alii Amalthæam, alii, Deiphoben Glauci natam vocitarunt. Secundum mentem nonnullorum, fuit Carmenta Evandri mater, de quâ proverbium exstat, *eum Evandri matre loqui*. i. e. obsolete loqui. Vixit anno M. bis millesimo septingentesimo decimo. Hanc formosâ facie ut & sellæ insidentem, longisque crinibus depinxere.





ERYTHRÆA.

Nunc accedimus ad quintam nempe Erythræam, quæ nobilissima omnium erat. Hæc natam se esse matre immortalis, nimirum unâ Nympharum, quæ Idam montem possidere credebantur, at Patre mortali, cecinit in carminibus suis.

Εἰμι δ' ἐγὼ γέγαῆα μέσον θνητῶν τε θεῶν τε  
 Νύμφης δ' ἀθανάτης, πατρὸς αὖθ' κηλοφάγοιο.  
 μητρόθεν ἰδογενῆς, πατρὶς δὲ μοὶ ἔστιν ἑρῦθη,  
 μάρπισσος μητρὸς ἐστὶ, πόλαμος δ' αἰδωνεύς.

De patria hujus, Erythæi, cum Græcis contenderunt. utrisque sibi eam vendi-

cantibus; hi, eam Delphis natam antè  
 Trojana tempora quadrigentis annis  
 volunt, vel ex Apolline, vel Aristocrate  
 & Hydole. Illi, contrà de carminum  
 quæ reliquit sententia, in Coryco monte  
 ab Idæa nymphea editam, Patre Theo-  
 doro, Pastore quodam, affirmarunt.  
 Nos illorum premimus vestigia, qui eam  
 natam asserunt, aut *Babylone*, sed ma-  
 luisse adpellari se *Erythræam*, aut *Erythra-  
 rum*, quæ urbs est Ionica. Adolescentula  
 νεωκόρον egit in templo Apollinis τῆ σμιν-  
 θέω, cujus etiam sororem se jactitavit,  
 & somnia, quæ in templo Hecabes ex-  
 cubantibus objiciebantur, explanavit.  
 Alio nomine Heriphile audit. Ipsa sibi  
 ἑρτέμιδος nomen imposuit. Hujus long-  
 ævitas non minus prædicatur quàm  
 Cumææ, quam ab Apolline multum  
 eam diligente, hac impetrasse condi-  
 tione tradunt, si Erythræam relin-  
 quere, & se Cumas conferre vellet.  
 Floruit secundum Schmidium, circa  
 annum, ante natum Christum, Millefi-  
 mum centesimum octoagesimum se-  
 cun-

cundum: juxta Alstedium Anno M  
2730. Excidium urbis Trojæ præfagiit  
hoc modo:

*Ilion heu miseresco tui nam crescet Erynnis,  
In Sparta specie eximia, famaq; perenni. Etc.*

Prædixerat quoque futurum senem  
quendam, lumine captum, patriam men-  
ticum & ψευδόμενον, qui

· · · · Γραψὲ τὰ καὶ Ἴλιον ἔμην ἀληθῶς  
ἀλλὰ σαφῶς, ἐπέεσσιν γὰρ ἐμοῖς μετρώσ τε  
καλήσι,

πρώτως γὰρ χείρεσσιν ἐμῶς βίβλος ὀνομήθη.

· · · · *Res Iliacas scribet non sicut habebunt,  
Sed clarè, verbisque meis utendo modisq;*

*Primus enim volvet librorum scripta meorū.*

Hanc, Æneæ in mandatis dedisse, tra-  
dunt, ut navigaret versus orientem, do-  
nec eo perveniret, ubi mensas comede-  
rent. Inter fabulola numeramus ortum  
ejus ex Noacho, quod fuerit uxor Ja-  
pethi, quæ in arca tempore diluvii vi-  
xerit, unaque cum reliquis excesserit.  
Manu sua enses strictum gestans, sub  
pedibus annulum aureū stellis ornatum  
habuit: Induta fuit vestibus monachicis.

*Sexta*



SAMIA.

Hanc excipit Sibylla sexta, videlicet SAMIA, alio nomine *Φυλα* dicta, de qua Eratosthenes in annalibus Samiorum fatur: Claruit in insula Samo & vixisse fertur circa annum M: ter Millesimum ducentessimum nonagesimum septimum. At secundum Alsted. A. M. 3000. Invenisse prima dicitur lyram triangularem. Hæc in ipsa ætate juvenili cæpit vaticinari, semper habens manum pectori impositam.



CUMANA.

Hujus vestigiis institit Septima Sibylla, *Cumana*, quæ diversa est a Cumæa & Erythræa: ortum traxit ex oppido Cuma, Æoliæ metropoli, urbe maxuma & opulentissima, in Asia minori. Varia nomina & huic imposuere authores, Alii Amalthæam, Alii Deiphoben Glauci Vatis filiam, ut tradit Virgilius.

- - - *Atque una Phœbi trivique sacerdos*  
*Deiphobe Glauci scil. filia.*

Alii Demophilen. Hæc novem illos libros Tarquinio vel *Prisco* vel *Superbo* tradidit, de qua re fusius postea. De hujus

æta-

etate non satis constat inter Chronographos; Solinus memoriae prodit eam degisse quinquagesima Olympiade, alii vero 62. de Alstedius ait floruisse illam A. M. ter millesimo trecentesimo nono. Amicta fuisse aureis vestibus, & sparsis ambulasse crinibus, fertur.

Octava.



HELLESPONTICA.

Octava fuit Sibylla Hellepontica, nata in agro Trojano, circa oppidum Gergithium, seu Gergetium, in vico Marinesso seu Marpesso. Tibullus asserit eam fuisse Marmensi filiam. Vixit Cyri & Solonis temporibus circa annum ante natum Christum quingentesimum quadragessimum

simum sextum, notante Heraclide: vel  
 secundum Alstedium Anno M: 3380. Quin  
 & ipse Stephanus hujus Sibyllæ mentio-  
 nem facit, citans authorem Phlegontem;  
 testaturque eandem esse cum Sphinge,  
 imprimi solita in numismate, quæque  
 sepulchrum habuit in templo Apollinis  
 Gergethii. Hanc vatem ad multam æta-  
 tem provec̄tam, vestitu incessisse rustico,  
 adeoque minus venusto & decoro ple-  
 rique observarunt.

*Nonæ,*



PHRYGIA.

Porro descripturi sumus Sibyllam  
 Nonam, quæ *Phrygia* est. Hanc, eandem  
 fuisse cum *Erythræa* & *Cumana*, vult

G

Ca;

Capella, sed omni caret ratione hæc as-  
sertio. Nata est ea anno Mundi ter mil-  
lesimo quingentesimo: ante tempora  
Octavii Patris Augusti. Ancyra vati-  
cinia edidisse putatur: Est autem Ancyra  
urbs Asiae minoris, sita inter Paphlago-  
niam & Galatiam. vestibus ornata fuit  
rubris, & brachio semper nudato.

*Decima*



TIBURTINA.

Sibylla decima *Tiburtina*, sive Tiburs, à  
patria sua, ut volunt, Tiburto cognomi-  
nata, quod ipsum sitū in Italia, hodie audit  
*Tivoli*, amœnitate sua maxime comēda-  
tum, ut notat Cellarius: a quibusdā τὰς βίβλ  
vel



vel *ταραξάνδρα* nominatur. Proprio nomine vocata est Albunea. Hanc Tiburi juxta ripas fluvii Anicenis, ut Deam cultam esse, ejusq; simulachrum in amnis gurgite, quod manu librum tenuerit erectum fuisse, testatur Varro. Hujus Sibyllæ cultum indicant quoque mons ut & fons quidam de nomine ejus in agro Tiburtino vocati: quorum recordatur Virgil:

- - - - - *lucisque sub alta*

*Consulit Albunea, nemorum quæ maxima sacro  
Fonte sonat, favamq; exhalat opaca Mephitim.*  
Schmidius & cum eo Alstedius, inquiunt, fuisse hanc Sibyllam eam ipsam quæ jusserat Augustum Cæsarem adorare puerum Hebræum, ex virgine nalciturum: sed æque bene tribuitur hoc mandatum ei, ac vaticinia illa reliquis Sibyllis, cum vix plures, his duobus, sententiæ hujus reperiantur favitores. Vixit anno M. 3910. 37. annos ante natum Christum, circa initium Virgilii Poetæ. Collo gestans pellem caprinam, rubrâ vestita fuit togâ.

Hoc numero & ordine commemorantur Sibyllæ, a Lactantio, Calovio & aliis: Sunt tamen qui plures constituent: quarum mentionem paucis faciemus.

*Undecima.*

Sebastianus Franck, undecimam constituit Sibyllam, *Europam*, sive ut quibusdam placet, *Europæam*, quæ tamen nomina haud multum inter se discrepant. Etiam huic, sicut reliquis Sib:

- - - - - *mentem animumque*

*Delius inflavit vates, dixitque futura.*

Formosa & rubicunda facie illam fuisse præditam memorant, nec non aurea veste indutam.

*Duodecima.*

Ut de priori illa non multa inveniuntur apud auctores, ita nec de Duodecima hacce Sibylla *Ægyptia*, ut eam nominat Ælianus. Est liber quidam qui memoriæ mandaverat omnes res gestas Sib: in quo assignatur huic Sibyllæ aliud quoddam nomen, nempe Agrippa seu Agrippina. Etiam has duas ante  
Chri-

Christum vixisse volunt, sed quo tempore, non definierunt iidem. Multo senio confecta erat, quapropter nec decorâ imprædita facie: Caput ejus redimitum mirabili fuit ornatu.

Præter has vulgo feruntur & hæ sequentes. Ut *Nicaula* Regina Æthiopiæ & Arabiæ felicis, quæ maximâ sapientiâ instructa, ad famam sapientissimi Salomonis, summâ cum molestia totum mare rubrum, maximumque desertum Arabiæ peragravit, quò perveniret ad eum & sapientiam ejus maxime deprædicatam, audiret, huic pedem fuisse anserinum fabulantur: *Uxor Noæ Colophonia*, quæ dicta est *Lampusia*, cujus vaticinia & responsa carmine olim sunt lecta: fuit *Διόγαν* Chalcantis vatis, qui comes fuit expeditionis Græcæ contra Trojanos:

In numerum Sibyllarum referuntur quoque *Cassandra* Priami filia, quæ ruinam patriæ suæ, sed absque ullo fructu fertur prædixisse, & responsa  
con-

consulentibus dedisse. Ut de illa cānit  
Poëta:

- - - - - *Dederat huic Augur Apollo  
Esse bonam vatem, sed non credenda profari.*

*Epirotica Sibylla Theosprotiæ nata  
Et Theffalica Manto, Tiresiæ Thebani  
filia, cujus filius Ochnus Mantuam con-  
didit Italiæ urbem ut scribit Virgil.*

*Qui muros matrisq; dedit tibi Mantua nomen.*

Nec defunt qui numerent inter Si-  
byllas *Carmentam* Arcadam, *Faunam* Fa-  
tuam, *Fauni* Regis Sororem & conju-  
gem. Et denique *Sapphonem* vatem, *Les-  
biam* mulierem & sororem *Charaxi*,  
quam *Sapphici* carminis inventricem,  
*Tarquinii Prisci* tempore exstitisse  
obseruant. Hæc se ex amoris impoten-  
tia de *Leucade* præcipitẽ dedit: *Stattius*.

## CAPIT SECUNDUM,

*Accedit Romam rugosa senilibus annis,  
Regnum Tarquinio Romane gentis habente.  
Obtulit hæc libros primum Regi peregrinos,  
Quibus nodem gentis Romane fata tenebant.*

Rex

*Rex temnens primum vetulam, eandem eve per-*  
*ampla*

*Romano imperio sic Numina comparat ista,  
 Numina quæ imprimis rabies Vulcania perdit,  
 Ast demum facinus Divi Silichonis acerbum:*

§. I.

**H**æc ratione patefacta aliquo modo  
 historia Sibyllarum commodio-  
 rem nanciscimur occasionem expen-  
 dendi carmina quæ tradidere. Impri-  
 mis, qua ratione ea primum adepti sunt  
 Romani & postea tentabimus mon-  
 strare, cujus instinctu, & num ab ipsis  
 Sibyllis, vel minus, carmina illa quæ ho-  
 die teruntur manibus nostris sint pro-  
 lata? Loquimur autem in hoc capite  
 de Sibyllinis carminibus veris, quæ a-  
 pud Romanos instar oraculorum habi-  
 ta sunt, ac in sequenti de fictitiis &  
 ὑποβολιμαίοις, qualia sunt pleraquæ quæ  
 hodie extant. Ubi locum sane habet  
 illa regula: *Quot Capita tot sensus*; nam  
 quamcumque opinionem tibi elegeris ad-  
 struendam, vel mille argumentorum in  
 con-

contrarium profertur; res enim nulla hac in materia est. de quâ magnoperè non solum docti, sed etiam indocti dissentiant: ut omni jure Hebræorum huc applicare possis proverbium: *Ecce omnes interpretes perplexi sunt, & varias addeò afferunt expositiones, ut asinus ferre non valeat libros illorum.* Inter tot syrtes ergo & sententiarum divortia constitutis, quid consilii capiendum? num ut Epicharmeum Casauboni sonat: *μὴ μεσοπίσειν.* *Memento diffidere?* Neque hoc, sed diversissimæ recitandæ veniunt sententiæ, & sua cuique relinquenda, mihi denique una cautè & religiosè stabilienda, non quod aliorum eruditissimas sententias tanquam falsas & paradoxas rejiciam, sed partim, quod hæc, quam nunc defendendam suscepi, niti veritati mihi maxime videatur, partim etiam, quod mihi præ reliquis arrideat, suadentibus idipsum ratiociniis prægnantibus: Neque enim alias veritati congruum foret *πολυτεύειν*: *sum cuiq; placeat.*

**N**è verò multa minusque necessaria  
 alba rantum, ut dicitur, linea, solam  
 copiam sectati, converramus, tenaces  
 erimus nostri promissi, initium facien-  
 do methodo recepta ab inquisitione o-  
 riginis oraculorum Sibyllinorum, quo-  
 modo hæc ipsa ad Romanos pervenerint.  
 Ita super hac re Gellius: *Anus hospita* 79  
 atq; incognita Tarquinius Superbum 79  
 adiit, novem libros ferens, quos esse 79  
 dicebat divina oracula, eos se velle ve- 79  
 pundare; Tarquinius pretium percun- 79  
 ctatus est: *Mulier trecentos Philippeos po-* 79  
 poscit, Rex, quasi anus ætate desiperet, 79  
 derisit, tum illa foculum seu testam quo 79  
 ignis continebatur, coram cum igne ap- 79  
 posuit, & tres libros ex novem deussit, 79  
 & ecquid reliquos lex eodem pretio 79  
 emere vellet? Regem interrogat. Sed 79  
 Tarquinius id multo magis risit, dixit- 79  
 que anum jam procul dubio errare. 79  
 Mulier ibidem statim tres alios libros 79  
 exussit, atque idipsum denuo placidè 79

interrogat, an tres reliquos eodem pretio emat: Tarquinius ore jam serio atque animo attentiori fit, eam constantiam non insuper habendam intelligit, reliquos tres libros nihili minori pretio mercatur, quam quod erat petitum pro omnibus. Sed eam mulierem a Tarquinio digressam postea nusquam loci vilam, constitit. Libri hi tres in sacrarium conditi Sibyllini sunt adpellati, ad eos quasi oraculum θεόπεμπτον XV. viri adeunt, quum dii immortales publice consulendi sunt. Autor nominat tantum annum quandam, quæ holce libros tulerit ad Tarquinium. Dionysius Halicarnasseus scriptor doctissimus, ait lib. 4. *ζωνὴ τις ἀφικεῖτο πρὸς τὸν τύραννον, ἣν ἐπιχωρία, βίβλος ἐννέα μετὰς Σιβυλλέων χρησμῶν ἀπεμπόλησαι θέλουσι*, quibus verbis non negat fuisse hæc oracula Sibyllina, sed num Sibylla aliqua hæc attulerit, omitit, qua in re convenit cum Gellio. Nos non dubitamus asserere fuisse hanc annum, Sibyllarum aliquam, cum etiam

con



conveniat inter omnes hoc ipsum. Neque enim Gellius vel Dionysius id negant, quamvis mentionem tantum anus cujusdam incognitæ & extraneæ faciant, nam eo ipso ab externa forma illam describunt, quò enim nomine eam tam longævam aptius adpellites quam anus? Et sane ideò forsan nomen ejus silentio involunt, cum præ maxima auctororum dissensione certam aliquam statuere non liceat. Sibyllarum aliquam hanc anum fuisse, præterea vel inde elucescit, quod hi libri postea Sibyllini sunt adpellati, nam undè alias nomen suum sortirentur, nisi vel ex authore, vel delatore. Quænam autem ex ipsis fuerit, quò minus liqueat, sententiarum perplurima impediunt divortia. Plerisque existimatum est Cumanam fuisse, ut placet quoque Virgilio, Servio & Lactantio, Varro mavult Erythræam fuisse, Aristoteles, ut sententiæ salva sit fides rem conatur conciliare tradendo Erythræam Cumis vaticinia edidisse, & ab Italicis *κουμάνη* seu Cumanam esse.

vocaram. Ad veritatem proprius accedere videtur sententia Servii. Iterum mentionem facit Gellius Tarquinii Superbi, Lactantius autem & alii plurimi ex adverso nominant Tarquinium Priscum, quæ sententia etiam locum habet, si statuamus hoc factum esse olympiade 50. quo tempore Priscus imperio præfuit, sin autem velimus id evenisse Olympiade 62. convenit ætati Tarquinii Superbi, qui 48. annis inferior vitam duxit. Nos hac vice, ut in eorum, qui priori adhærent assertioni, scilicet: Lactantii & Solini, descendamus castra, svadet ratio sequens prægnantissima, nam consideratis ætatibus, quando vixerit Sibylla Cumana, año M. 3339. & quando Tarquinus Priscus, anno M. 3335. fateri necessum habemus has ætates optime sibi invicem respondere, nisi saltem quod distent aliquot annis. Gellius quidem certò non definivit quantum pretium popolcerit, sed dicit saltim *nimum imensum*, nos cum trecentos Phippeos apposuimus, secuti sumus Lactantium, qui

qui primum nominat Philippeos, deinde vero aureos; quod nonnulli, cum Philippei apud Romanos in usu non fuerint, conciliant dicendo, posuisse eum Philippeos, pro valore aureorum. Sed unum per idem quantum fuerit, imensum tamen fuit. Occurrunt quidem hic multa *Φαινομένων* discrepantia, ut de numero librorum, qui communi omnium ferè consensu statuuntur novē: Solus Plinius tres tantum ponit, videlicet, qui non accurate numerum recensuit, sed rationem duntaxat servavit illorum voluminum, quæ igni periere, & Tarquinio tradita sunt, sed quæ omnia apponerè operæ pretium non est. Hoc tantum observamus, conditos fuisse hos libros in capitolio Jovis, & non in templo Apollinis, ut confundunt male nonnulli.

§. III.

**H**osce libros, cum nimium imenso pretio Tarquinius sibi acquisivisset, rem defert ad augures, qui per signa quædam edocti

edocti, respondebant peccasse Regē in eo, quod detrectaverit hanc rem divinitus oblatam, quo audito Rex, quam diligentissimè permisit tres hos libros aservari in capitolio Jovis, in delubro Junonis, arcæ lapideæ, seu, *ut malunt quidam*, cellæ subterraneæ inclusos. Quod melius fervarentur, adhibita est cura duumvirum, & his pro arbitrio eorum non sufficientibus, decemviros constituerunt, quibus omnia libertatis privilegia concessa sunt, ut eo diligentius curam oraculi sibi demandati gererent. Et hæc custodia per multa secula duravit, ad mille propè annos. Imo, notantibus quibusdam, Romani tam curiosi ac solliciti fuere in fovendis hisce Sibyllinis carminibus, ut facerent illa scribi in carbasis linteis, quò eo diutius durarent. Quod ipsum etiam innuit Claudianus.

- - - - - *Quod carmine poscat*  
*Fatidico custos Romani carbasis ævi.*

Quarè etiam nec incongruè libri linteis adpellantur. Ad exaggerandam curam

Romanorum in servandis hisce oraculis, non parum facit exemplum Attilii; Qui cum descriptionem Sibyllinorum Petronio permisisset, gravissimo supplicio affectus, culeo bubulo infusus est, & in mare projectus. Huc facit & illud Dionysii dictum: *Romani nihil ita custodiunt, neq; sanctum, neq; sacrum, quemadmodum Sibyllina dividitur missa oracula.* Interim tamen, nihil obstante hac diligenti cura Romanorum, privati sunt oraculis suis, ad mentem eorum, *Ἰεοπέμτοις*. Nam centesimâ & septuagesimâ tertiâ Olympiade elapsâ, tempore belli Marfici & Socialis totum capitolium Jovis incendio funesto, sive casu, sive insidiis, cum omnibus donariis pretiosissimis DEO repositis, adeoque & his oraculis Sibyllinis, periit. Quamvis cum Baronio re-nuente, quidam, absque ullo fundamento autument, residua fuisse carmina illa quæ à Petronio descripta sunt. Sed ablonum fidei est, Romanos, qui adeo graviter detestati sunt hoc scelus Attilii, ceu patet ex pœna gravissima modo memorata, permisisse, ut superstites manerent  
libri,

libri, quo minus etiam illos, una cum Attilio, tam fraudulenter descriptos, e medio tollerent. Schmidius dicit eodem tres libros Erythris, templo Apollinis forte exusto, in adyto quodam illius templi, ubi occultati fuerant, denuo inventos, & hinc Romam deportatos esse. Sed cui sententiæ non esse fidentum dissuadent omnes auctores in contrariam abeuntes sententiam; dissuadent etiam sibi invicem contrariæ illæ opiniones, quas fovet idem author; unô locô enim narrat consumptos esse eos incendio Capitolino, alio vero loco tradit eos denuo inventos Erythris & Romam deportatos. Nec sane probari posse â quôquam puto, existisse plura exemplaria, præter unicum illud quod incendio periit, frustra enim tunc tantam illorum habuissent curam, Romani, si omnium triti fuissent manibus? frustranea quoque expeditio illorum in Græciam, ut ibi colligerent sibi oracula amissa, foret?

Verum cum non sufficiat scire, quod  
exstiterint hi libri apud Romanos,  
requiritur à nobis ut paucissimis inqvi-  
remus in eorum argumentum, quid  
præcipuè tractarint. Quod sane aliud  
fuisse quam idololatricum planè, quis  
inficiabitur? Cui sententiæ robur addit  
maximum, præcipua illa cura Roma-  
norum, in servandis his libris, neque  
enim alias paganæ illi superstitionis Ze-  
lotæ, libros hos apud se retinuis-  
sent, multo minus tam accuratè servassent,  
& loco oraculorum habuissent, nisi fu-  
issent illis ad palatum. Quid aliud redo-  
let, quam idololatriam, cum variis qui-  
busvis casibus illa semper essent confu-  
lenda, seditione occupante civitatem,  
infortunio aliquo magno, sive bello in-  
gruente, aut prodigiis fatalibus & in-  
explicabilibus ipsis apparentibus: Quæ  
ipsa neminem agnoscunt authorem  
præter Diabolum, fontem & origi-  
nem omnis superstitionis. Non quod  
I  
ille

ille hæc ipsa sic eventura absolute præ-  
 scierit, sed, cum per signa varia ex-  
 terna conjicere potuerit, hoc vel illud  
 eo & eo anno eventurum, tum quoque  
 destitutum, antistibus suis idipsum sug-  
 gerit, quasi propter superstitionem hanc  
 vel illam actionem, id factum esset. Atq[ue]  
 sic unâ vel alterâ vice vera effutiendo,  
 miseros illos homines tenebris crassissi-  
 mis involutos, ad fidem sibi faciendam  
 allicit, cum vero res difficiliore cap-  
 tumque superantes, ipsi proponerentur,  
 responsis consultores elusit Arietinis.  
 Non tamen negamus ipsi potestatem  
 permissu divino, patrândi quædam præ-  
 ternaturalia, ut multis constat exemplis,  
 at non supernaturalia, quæ solius sunt  
 DEI. Recte itaque cum ipso Castalione  
 concludimus: *Nihil unquam ex illis li-  
 bris portatum est, quo insanus ille Dæ-  
 monum cultus, & superstitio gentilis  
 non confirmaretur, vel etiam nova im-  
 pietatis accessione non augetur.*



Hæc oracula sua pretiosissima, omnique  
 & inopinato casu amisissent Romani,  
 credas quantam adhibuere curam, ut  
 iterum sibi ejusmodi libros pararent,  
 præsertim cum & spem foverent illos  
 recuperandi in patria Sibyllarum. Con-  
 vocato itaque Senatu, Curio & Octa-  
 vius consules, consilium inierunt, qua  
 ratione optime restaurari possent amissa  
 oracula, tandem pedibus in eorum sen-  
 tentiam itum, qui suadebant, ut mittere-  
 rentur aliqui legati Erythras, & in vi-  
 cina illa loca per omnem Græciam, ut  
 hi cuncta colligerent quæ Sibyllinorum  
 nomine audiebant, sive ab illis ipsis  
 profecta, sive nomine earum ab aliis e-  
 dita. In eum finem ergo missi sunt tres  
 e collegio Quindecimvirorum P. Ga-  
 binus, M. Octacilius, & L. Valerius, qui  
 passim a privatis fragmenta quædam de-  
 scripsere, & supra duo mille versus hinc  
 inde collectos, Romam deportarunt.  
 Qui versus Sibyllarum quidem no-

mine editi, sed omnes nec indubie veri, nec ab ipsis profecti sunt; nam mox circa ætatem Sibyllarum factum est, ut multa tanquam ab ipsis Sibyllis conscripta, inter gentiles disseminarentur, quibus & postea multa alia conficta accesserunt. Hæc carmina cum in manus pervenissent Romanorum, & hi viderent in illis contineri quædam, nihil aut parum discrepantia a prioribus combustis, tradidere id negotium sacerdotibus, ut vera a fictis quantumcunque possent discernere, observante hoc Tacito. Et sic aliquo modo in ordinem redacta, tradita sunt Quindecimviris, ut ab illis simili, imò multò majori cura, quam priora illa custodirentur. Quibus XV. viris majoris securitatis ergo additi sunt plures, quod accidit intra ann: urbis conditæ 671. quo Capitolium conflagravit & 675. quo Sulla se dictaturâ abdicavit, ut pensim & enucleate id notavit ὁ μακρῆς Blondellus. Hoc nomen XV virum illis semper mansit immutatum, etsi postea Quadragesimum imò Sexagesi-

gesimum constituerint numerum. Sed quamvis summam adhiberent industriam in illis servandis Quindecimviri, utpote quibus solis illa adire fas erat, minime tamen impediri poterat, quin eadem pluribus paterent, quandoquidem a privatis collecta, & multa etiam specie aliqua cum veris convenientia iis adfecta fuere, quibus illud se patiebantur Sibyllini nominis cultores, quod tamen demum Augusto Imperatore præpeditum, & severo mandato prohibitorium est. Nam ut refert Svetonius de Augusto: *Postquam Pontificatum maximum, quem nunquam vivo Lepido auferre sustinuerat, mortuo demum suscepit, quidquid fatidicorum librorum, seu populi fata continentium, Græci latinique generis, nullis vel parum idoneis auctoribus vulgo ferebantur, supra duo millia undique contracta cremavit, ac solos retinuit Sibyllinos, eos videlicet, qui postea in Græcia conquisiti sunt, eorum quoque delectu habito: condidit eosdem duobus forulis seu capsulis, auratis, sub basi. i. e. fulcimento statuæ A-*

*pollinis Palatini.* Ergo non in capitolio; nam ibi priores illi condebantur, hi restaurati autem in Apollinis templo; quod ipsum quidam confundere solent. Neque sic impediri poterat, quò minus in lucem ederetur fictitius quidam liber Sibyllinus, quem etiam delectu habito, abstulit Cæsar. Ex his constat fuisse hos libros similis argumenti cum prioribus, nec sanè aliàs excepisset illos populus Romanus. Hic usus est iisdem, consimilibus in rebus cum prioribus, præter propter annum urbis 1152. donec Honorio Imperatore Socer ejus Stilicho omnes hosce libros, quos Romani tanta cura servârant, incendio plane aboleri fecisset: Ceu canit Poëta Claudianus.

*At stilicho æterni fatalia pignora regni  
Et plenas voluit precipitare casus.*

Hac ratione in totum iterum perierunt oracula Romanorum, jamque spes omnis, illorum magis recuperandorum, eis discesserat. & tunc licuit dicere:

*Speſtemus vacuam Romanam vatibus edem.*

Ne vero illotis manibus ad rem hanc ulterius considerandam divertamus, subsistere consultum ducimus, dum animo in diversa versato, paulo altiori æstimatione expenderimus, quæ nobis premenda vestigia, studentibus investigare, cujus instinctu prolata sint hæc carmina. Ita hanc in rem Cicero: *Et cum duobus modis animi sine ratione & scientia, motu ipsi suo libero incitarentur, uno furente, altero somniante, furoris divinationem Sibyllinis maxime contineri versibus arbitrati sunt.* Et alio dicit loco: *Nam terre vis Pythiam, quod tamen falsum, Delphis incitabat, natura Sibyllam.* Priori loco per furorem describit Sibyllarum divinationem, respectum habens sine dubio ad nomen earum, nam a Sibylla est *Σιβυλλία*, quod adhibetur ad Enthusiasticum furorem exprimendum, observante Diodoro. Hinc etiam toties in Sibyllinis facta est mentio hujus furoris, per-

per quem correpta ἐκ οἴδε ὄλι λέγῃ. Non  
 novisse se profitetur quid diceret, sed  
 mentem quasi flagello ictam, quod et-  
 iam innuit Cicero loco posteriori, cum  
 dicit naturam incitasse Sibyllam, id est  
 naturalem illum furorem ipsi instilla-  
 tum, non sane ab alio quam ipso Dia-  
 bolo. Sunt itaque mulieres fatidicæ &  
 quidem ex secundo genere θεομάντων,  
 scil. Ethusiastæ, ἐνθεαστικοί, qui nunquam  
 sine furore, sineque perturbatæ & ab-  
 errantis rationis everfione prodebant  
 oracula, nec in has μάντεις primum il-  
 lud μανίας genus cadit, quod fit vitio  
 valetudinis, cerebro male affecto, ab hu-  
 more melancholico, quod Maniacis, Me-  
 lancholicis, & Phreneticis accidit. Sed  
 alterum, quod afflatis obsessisve a Dæ-  
 mone proprium est, vi cujus prædi-  
 cant futura, neque prævisa, neque intel-  
 lecta, sed à Dæmone suggesta. Qui et-  
 iam ideo, merito audit simia DEI: de-  
 legit autem sibi Prophetas potissimum  
 ex muliebri genere, quod sexus iste im-  
 be-

becillior sit, & naturæ simplicioris, minus cavere insidias, intelligere astuta consilia, reniti impulsui, & commissa racere possit, quodque ad permovendos alios accommodatiora, pluraque adju-  
 menta habeat. Hac in re optime su-  
 um exprimit judicium Marchius: *Verbo tantum monemus gentiles illas fuisse fœmi-  
 nas, quæ, in densissimis Ethnicismi tenebris, pluribus ante natum Christum vixere seculis, Diaboli ministerio, in fascinandis hominum animis & propagandâ omni idololatria con-  
 secrata, ab ejus inspiratione vaticinia suâ habuerunt. & alio loco: Fœmina fuerunt* *ἑρησπολόγοι* *satanae ministerio dicata, omnis-  
 que idololatria sacerdotes. Quæ omnes sententiæ optime inter se conveniunt, nec sane negabit aliquis, cui ex meliori luto finxit præcordia Titan, has ipsas Si-  
 byllas Dæmonis instinctu locutas esse, modo attenderit ipsum objectum seu materiam ab ipsis tractatam, quam pla-  
 nè idololatriæ obnoxiam esse, probare conati sumus Parag. 4. cujusmodi mare-  
 riam non elaborassent, si à supremo inspi-*

ratæ essent Numine. Neque aliter de illis judicandum, quam de reliquis Gentilium Auguribus, Magis & Divinatoribus, quos repetitis mandatis e republica Israelitica DEUS ejici præcepit, nec non de celeberrimis Gentilium oraculis, quibus Internalem præfuisse spiritum ex cultu constat. talia & hæc fuisse constanter asserimus. Hic infinitæ in contrarium struuntur exceptiones, præcipue ab illis, quibus placet, carmina hæc divinitus inspirata esse, quod probare præcipue volunt ex fragmentis quæ passim adhuc apud auctores existant, quæ conscripta esse ab ipsis Sibyllis contendunt. Sed an Sibyllæ hæc fragmenta tradiderint, est *μὲν γὰρ ἡμῶν ἀίτημα*; ( in quo tota vis argumenti consistit, ) imò à vero maxime dissentiens: Ut sequenti capite probatum ibimus.

### CAPUT TERTIUM.

*Non harum sparsit cœlesti rore medullas  
Ipse DEUS: pures ceu tradunt inverecunde.*



*Quæ fuerant Roma sunt tantum oracula vera,  
 Cetera ficta vides, quæ non fecere Sibyllæ.  
 Inter Christicolæ hæc scripsit carmina quidam  
 Qui se fallaci simulavit fraude Sibyllam.  
 Hæc volui paucis folio monstrare sequenti,  
 Occurrant mibimet quævis contraria mille.*

## S. I.

**Q**vis enim omni inauditum memoria,  
 imo plane absolum à fide non dice-  
 ret: oracula hæc Sibyllina tam super-  
 stitiosa DEI T. O. M. instinctu fuisse in  
 lucem edita, Deumque omnipotentem  
 qui Patrem semetipsum promiserat Is-  
 raëli; plus notitiæ instillasse gentilibus,  
 eorumque Diabolicis vatibus, quam,  
 quid dicam genti suæ, imo quod fi-  
 dem excedit, quam, ipsis Prophetis suis,  
 qui ex ipsius DEI spiritu, revelatione im-  
 pulsu & mandato, verbum ejus annun-  
 tiarunt. Num blasphemia in eo non  
 committeretur, ut, Supremo Numini,  
 summo odio idololatriam Gentilem pro-  
 sequenti, tales tribuerentur ministri ad  
 prædicandum verbum ejus, qui ope-  
 ram

ram suam dederunt, seque totos manciparunt cultui Diabolico, in edendis oraculis, in decipiendis hominibus, iisque avertendis a vero DEI cultu, quales vere erant hæ Sibyllæ? Imo maxima. Opponunt quidem nobis multa carmina illarum, quibus adeo detestantur Idololatriam, ut qui ea oculis subjecerit, fidem vix adhiberet nobis quod dicamus eas fuisse Diabolico cultui addictas. Sed cujus valoris illa sint, suo loco discutiendum. Taceo, quam nefas foret dictu, DEUM omnis peccati odorem, elegisse varem suum adulteram quandam, quæ se scortum & prostibulum fuisse tateretur lib. 7.

*Μύρια μὴν μοι λήκηρα γάμος δ' ἔδεις ἐμελήθη*

Tale quid cum asserimus de varibus paganis, si tantum est dedecus, & tam indecorum, quanto major ignominia fuerit, si Prophetas veri DEI tales fuisse statuamus. O quam Blasphemum! Quis? quod plena sint mendaciorum spuria hæc oracula Sibyllina, & S. S. sapius contradicant: Libro 2. dicit. Damnatos  
post

post aliquot secula liberandos esse ex inferno; quæ sententia tota est Epicuræorum, ipsum Origenem agnoscens authorem, & ignota ante Christi tempora: Præterea contraria quoque est Mosi, qui Noachum in arca degisse per annum integrum, videlicet ingressum esse in arcam anno ætatis suæ 600, egressum vero anno ætatis 601. tradita Sibylla autem per XLI. dies tantum eum ibi fuisse ait. Lib. 1.

Νῶε διακίοντος ἐν θρώπων  
ὄμβρος ἐξήλην, δις ἑκοσι καὶ μίαν ἡμέραν  
πληρώσας ὕδατες - - - - -

Ubi luce clarius dicitur eum implevisse 41 dies in diluvio seu tempore diluvii; quod non licet cuiquam interpretari vel de tempore pluviarum, vel de 40. dierum spatio, cujus recordatur Moses Gen. 8. 6. nam & tunc corrueret hæc illarum opinio. Paucis quoque injiciemus mentionem τῆ ἀντιγράφου, quo asserit arcam constitisse non in montibus Ararat in Armenia, ut scriptura vult, sed

in monte quodam alio arduo, sito in finibus atræ Phrygiæ. At missis hisce gryphis, maximè movet me illud, quod Sibylla hæcce pagana multa clarius & accuratius enuntiet de CHRISTO, quam Prophetæ *Ἰεσωνεύσοι*. Elajias dicit *virginem parituram*: Sibylla verò, *Maria virgo paritura est filium in Bethlebem*. Imo non sola verba, sed totos prope versus & locos Elajia plurimos, Sibyllam hanc fictitiam imitatã videmus ut cap. II. Elajia: *Cumque lupis agni per montes gramina*  
*carpent*

*Nec ledent quoniam domini manus obtigit  
 illas &c.*

Minime autem dicendum puto Jesajiam divinitus inspiratum hæc ex Sibylla mutuasse, sed potius Christianum quendam, Sibyllarum nomen e mentium, sumpsisse hoc ex Jesajia, quod nec dissimulat August. & sic optime manet sua dignitas Scripturæ S. Alias enim repugnaret hæc tam evidens mysteriorum revelatio œconomia Veteris Testamenti, ubi doctrina cœlestis compa-  
 ra-

rate loquendo, inevidentiori revelatione  
 proposita erat, quam in Novo Test. Ab-  
 solonum plane esset, si ante impletio-  
 nem æque clare & si non clarius inno-  
 tuisset gentilibus, quam nobis Christi-  
 anis post eam, tempore Novi Test. per  
 ipsius Christi, Evangelistarum & Apo-  
 stolorum præconium. Frustra tum com-  
 pararetur Vetus Test. ab Apostolo *noti*,  
 Novum vero diei; frustra diceretur,  
*mysteria a secularibus tacita temporibus,*  
*nunc demum revelata esse:* Imo plane con-  
 trariaretur hæc evidentia dicto Aposto-  
 lico Ephes. 3. ubi clarè est expressum:  
*Nunc demum revelata esse ea sanctis Pro-*  
*phetis, quæ aliis etatibus non patefacta fu-*  
*ere filiis hominum.* Ita ut quidquid omni-  
 no in contrarium nexerint, peccet ta-  
 men id in hoc dictum. Si denique divi-  
 nitus essent instincta, cur non in cano-  
 nem recepta sunt, quæ tanta mysteria  
 continebant? concedimus ergò carmina  
 hæc posse dici quidem sacra respectu ob-  
 jecti, non vero divina seu divinitus in-  
 spirata.

**H**æc multa tam clare, ut in S. S. æque  
 perspicua non sint, ab iis proposita,  
 non solum in tradendis variis historiis,  
 sed quod extra omnem fidem videtur  
 esse, in ipsis mysteriis JESU CHRISTI,  
 hæc, inquam, disuadent, quo minus  
 credamus ab ipsis Sibyllis Ethnicis hæc  
 carmina protecta esse. Ne autem, Lector  
 Benevole, persuasum tibi habeas, hæc  
 omnia à nobis ficta, nec veritati congrua  
 esse, proferemus in medium paucissima  
 vaticinia earum, imprimis ea quibus de-  
 testantur idololatriam, sequenti modo.

- - - - - *Hæc vanaque multa*  
*Præterea colitis, quæ sunt turpissima dicta*

- - - - - *Quosque manus creavit*  
*Accipere Deos stulti. - - - - -*

Ut missam hac vice faciamus Achro-  
 stichidem illam quam fecere de nomi-  
 ne JESU, ex cujus versuum quorumvis  
 prima littera, hæc conflatur sententia la-  
 tina. JESUS CHRISTUS FILIUS DEI.  
 Secundū Eusebium. Græco autem idio-  
 mate conscripta, ΙΗΣΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ ΘΕΟΥ ΥΙΟΥ ΣΩΤΗΡΟΣ.

Ex hujus iterum sententiæ prima cuiusvis vocis littera, verbum *ixθύς*, i. e. piscis, colligit August: libr. de civitate Dei 18. Audiamus Ciceronem, qui tam curiose hanc rem rimatur, ut judiciū ad amissim factū diceret: *Non esse autem carmen illud furentis, cum ipsum poëma declarat, est enim magis ætus & diligentia, quam incitationis & motus, tum vero quæ à xpo sicut dicitur, id certe magis est attentis animi quam furentis, & scriptoris adhibentis diligentiam, non insani.* Hinc apparet Sibyllarum aliquam paganarum, eam non scripsisse, nam illæ tantum animo furenti, vaticinia edebant. Sed hæc sunt levia respectu eorum, quæ de abstrusissimo Deitatis mysterio proferunt. Dum à *Σαβάτοιο θεῶν πατρὶς ὑψίστοιο* describitur ab illis filius DEI, dñi de nativitate ejus, vita, passione, morte, resurrectione & ascensione in cælum evidentissime præsagiunt. Quæ omnia si inspiciat benev: L. existumamus, non tantum prius dicta sibi constare, sed & patere ipsi quantum recedant hæc vaticinia, à more solito & proprio Sibyllarum.

**N**ec parum lucis accedit huic nostræ  
assertioni inde, quod testetur Sibylla  
hæc de se ipsa, se sc. semper maximæ im-  
pietati deditam, studio peccandi summo  
laborasse, ut videmus Lib. 2.

*Eheu me miseram quid me illo tempore fieri  
Ute sceleratam me!* --- ---

*Propterea igni sum consumpta, a quoq; nec ipso  
vivam, sed perdet durum me tempus &c.*

En voces desperabundas quas profert  
hæc nostra Sibylla, quæ ipsæ satis di-  
luunt exceptionem illam Adversariorum,  
quâ ad defendendam spuriam hancce Si-  
byllam, ajunt, fieri id sæpe, ut sancti DEI  
labantur, adeoque hanc esse saltim con-  
fessionem suorum peccatorum, hæ vo-  
ces, inquam, sufficienter diluunt illam ex-  
ceptionem, dum quam maxime arguant  
eam desperabundam hæc protulisse  
verba, nec ullam in ævum i. e. in æter-  
num, magis expectaturam gratiam.  
Sic sane nemo fidelis & πνευματικός  
sua deprecatur peccata. Quid? quod  
si hanc rem accuratius inspexerimus,



videre est, quantum differant inspiratio  
 divinitus facta, & furor Sibyllarum? ma-  
 ximè profectò, non enim furore aliquo  
 correpti prophetarunt *οἱ ἅγιοι τῆς Θεῆς ἁν-  
 θρωποι*, sicut Sibyllæ, non dimovebantur  
 ratione, sed integrâ, immotâ & constan-  
 ti mente ac ratione, afflatuum divino-  
 rum excipiebant impetus & sentiendo  
 vim horum atque ardorem, monita in-  
 telligebant divina, quæ a patefactis ante  
 ac promulgatis oraculis, nunquam di-  
 scordabant, nunquam à perpetua æternæ  
 veritatis, & immotæ justitiæ discrepa-  
 bant norma, nunquam comprobabant  
 scelera vetita, sed reprehensis autori-  
 bus scelerum, reducebant eos a tramite  
 falso in rectum, unde deflexerant. Plane  
 diversa autem erat conditio furiosorum  
 vatum apud Ethnicos, quorum men-  
 tes concitabat impulsus Diaboli, fal-  
 so imitantis inenarrabilem illam DEI  
*νομιαν*; Vates enim illi cum ex in-  
 sultu Diaboli corripentur, nec corpo-  
 rum suorum, nec mentis rationisque  
 compotes amplius esse poterant: Sed  
 sui

hui ignari, nihil eorum, quæ argutè, vel oratione soluta, vel versu numerisque proferebant, intelligebant, prout ipsaemet loquitur. Lib. 2.

*Corpore tota stupens trabor huc ignava  
quid ipsa*

*Eloquar: ipse sed hæc mandat DEUS omnia fari.*  
Et multis aliis in locis, non solum in Sibyllinis, sed & apud illos ipsos auctores qui hæc defendenda suscepere, occurrit nobis quod adpellata sit vates Apollinis furens. Quemadmodum etiam his assensum præbet ipse Casalio, alioquin Sibyllarum maximus Patronus, existumans modum Sibyllarum vaticinandi fuisse omnino turpem & nimis indignum ut eo uteretur DEUS. Differunt, præterea, nec minus in consignando litteris vaticinia sua, nam novimus DEUM T. O. M. tecisse suos scriptores uti atramento, eoque modo in chartam conjicere suas prophetias, Sibyllas autem foliis palmarum inscripsisse sua vaticinia accipimus: Hinc natum est illud proverbium vulgo jactitatum, ad de-

si-

signandum rei alicujus certitudinem:  
*Sibyllæ folium*: hinc versus

*Credite me vobis folium recitare Sibyllæ.*

Mitto hac vice insignem illam confusio-  
 nem in vaticiniis Sibyllarum, quâ multa  
 primum ponenda, posteriori tractantur  
 loco; & maximam obscuritatem undè  
 proverbium: *Sibyllæ foliis obscurius*: qualis  
 confusio & obscuritas minime conve-  
 nit inspirationi divinæ. Suidas & hoc in  
 puncto conatur illas tueri, cum ait, *Nota-*  
*rios in causa fuisse, dum orationis imperium*  
*assequi non valerent, sed una cum enthu-*  
*siismo illo etiam quæ dicebant memoria la-*  
*berentur.* Ast in casum non minus hic  
 quam alibi multoties laborat, nam si  
 DEI fuisset opus, non sane passus esset  
 illud tantam pati corruptionem, si enim  
 tantam adhibet, adhibuitq; DEUS curam  
 in custodiendo verbo suo, per Prophe-  
 tas & Evangelistas prædicato, ut nec  
 jota unum pereat, cur non & in hoc?  
 non, quia ut DEUM non agnoscit au-  
 thorem, ita nec conservatorem. Cum  
 ergo a Supremo Numine illis non sint in-  
 di-

dita hæc carmina, intrepide afferimus,  
 Sibyllis gentilibus & paganis ea hæc  
 ortum non debere, sed esse ὑποβολιμαία,  
 fictitia & ab aliquo Christiano Sibylla-  
 rum nomine venditata, ut eo melius  
 apposito nomine, vatis alicujus apud  
 Ethnicos celebris, ab illis reciperentur  
 & ad veram se religionem convertent.  
 Quod tamen cum subolfecerint Gen-  
 tiles, irrisere Christianis, eos Sibylli-  
 stas, i. e. tales, qui more Sibyllarum enthu-  
 siasmo aliquo correptos se simularent,  
 vocando. Qui contemptus, non leve est  
 argumentum a nostra parte, adstruens  
 ab aliquo Christiano, non a Sibyllis  
 Ethnicis hæc esse scripta. Hoc unicum  
 addimus, non posse nos refragari, quin  
 nonnulla scripta fuerint ante Christum,  
 ut præcipue illa achrostichis cujus re-  
 cordatur Cicero, sed plura eaque po-  
 tissima post Christum natum. Inveniun-  
 tur nonnulli, qui volunt hæc fragmenta  
 esse, nec a DEO, nec supposititia, sed  
 ab ipso Diabolo, quò minus autem hæc  
 opinio probabilis videatur, impedit hoc  
 ab-

absurdum: ipsum Diabolum qui semper  
 jam inde ab initio studuerat pedibus  
 & manibus, ut sic dicam, conterere ver-  
 bum DEI, ipsum (*inquam*) nunc tanto cum  
 studio voluisse propagare idem, ut nec  
 majori cura a DEO sit plantatum: Fateor  
 quidem non plane ignarum mysteriorum  
 fidei, & oraculorum de Messia, esse ipsum  
 Diabolum, & per consequens nec impos-  
 sibile adeo ipsi fuisse, quin patefacere  
 hæc variis suis potuisset, at cum adver-  
 setur hoc plane naturæ Diabolicæ, vix  
 dicendum auguror, ejus operâ in lucem  
 hæc esse edita, præcipue si attendamus,  
 quo fine ille sua oracula constituerit,  
 non sane alio quam ut miseros sedu-  
 ceret homines, novimus autem fra-  
 gmenta hæcce adhibita esse ad con-  
 vertendos gentiles e suis tenebris, quod  
 opus nunquam cordi fuit Satanæ. Con-  
 cesso, itaque, potuisse satanam instillare  
 hujusmodi mysteria de Christo variis  
 suis, vix tamen concedendum putamus,  
 eum, ipso actu hoc fecisse, sic enim pro-  
 prii sui regni destructor futurus esset.

Hic vicissim, magno fragore doctis-  
 simorum capitum contraria exau-  
 dimus crepantia iudicia, præcipue eorū,  
 qui divinitus eas inspiratas esse dicunt.  
 Initio opponūt nobis, quod testentur hoc  
 ipsum Sibyllæ in suis vaticiniis, *videlicet, se*  
*divinitus inspiratas esse & eodem spiritu mo-*  
*tas, quo sancti DEI homines.* Tantas egit  
 radices apud illos præjudicata quædam  
 opinio, ut sine ratione valeret authori-  
 tas; Concedimus quidem illam dixisse:  
 -- -- *Ipse sed hæc mandat DEUS omnia fari.*  
 Sed probet aliquis intellexisse Sibyll. hic  
 verum DEUM, nonne constat etiam  
 Gentiles sua numina DEOS appellasse,  
 confundunt ergo non confundenda. Et  
 si vel maxime intellexerit verum DEUM,  
 raturum tamen non magis iudicamus  
 hocce earum testimonium, quam Py-  
 thagoricorum, quos ferunt, si quid affir-  
 marent in disputando, cum ex iis quæ-  
 reretur, quare ita esset, respondere soli-  
 tos, *Pythagoras dixit.* Nec enim id permit-  
 tit regula hæc antiquorum: *Nemo de se ipso*  
*ido-*

*idoneus est testis, cui etiam assensum præbet ipse Salvator: si ipse de me testimonium perhibeo, testimonium meum nullum est. Quanto magis ergo repudiandum illud testimonium, quod hæ fanaticæ mulieres vanæ jactationis ergo, gnostico quodam spiritu moræ, de se tulerunt: Nam si valeret hæc ratio: ego dico, quot quæso tunc invenirentur, qui placita sua perniciosissima, tanquam divinitus missa, obtrudere nobis vellent? & quid impediementi esset tum ipsis Pontificiis, Mahumedanis, & aliis hæreticis, quo minus liceret illis effutire quidquid vellent. Non ergo cuiuslibet libro credi tuto potest, qui venerandum scripturæ nomen possidet. Adhuc pergunt, tradendo: Fuisse alia Sib: carmina præter illa quæ Romæ sunt asservata, & in illis descriptum esse verum DEI cultum, non in his, ideoque etiam fuisse illa Ἰεὸν νεύουσα: quasi ea vere Sibyllina sint adpellanda, quæ extra Romam asservabantur, minimè; Standum denique verbis Sveronii: crematos esse omnes libros fatidicos, exceptis Sibyllinis qui Romæ erant. Sic deletis his ad-*

versariorum rationibus, existunt tamen se nondum victas dedisse manus, eo, quod proponant nobis ipsorum eventuum convenientissimam responsionem cum earum vaticiniis, quam obstare opinantur, quo minus dici possit, ab aliquo homine, sine divino instinctu, hæc esse prolata. Ut de apparitione Stellæ facta anno Christi 1572. in Cassiopæa, indulgentiis papalibus &c. quæ omnia urget quam maxime Cel. Schmidius. Sic autem Sibyllam loquentem infert: λάμψει γὰρ σεφάνω λαμπρῶ παρόμοιος ἕστη λαμπρός, καμφάνων ἀπὸ ἑραυῆ ἀιγλήεντῳ, ἡμασιν ἔχ ὀλίγοις. *Diebus non paucis.* Ast chordas non movendas movent: de Stella enim hac an Sibylla prædixerit tanto magis dubitare licet, quanto major diversitas inter historicos reperitur in describenda illa: Hi enim memoriæ tradunt, eam non fuisse similem coronæ, ut inepte blaterat Sibylla. Per stellam definit illam Paulinus, qui eodem anno vixerat & non per coronam. Ejusmodi diversissimæ opiniones non oriuntur,



eur, si DEUS hæc per illam prædixisset. Licet proinde Schmidio dicere hanc vel illam Stellam, quæ ad descriptionem stellæ a Sibylla factam aliquo modo quadret, esse eandem quam illa prædixerat; cum tamen minime esse possit, vel sit: Nec denique conveniunt cum Sibylla in definiendo tempore durationis; Sibylla dicit duraturam eam aliquot diebus, at Historiographi, quibus nos majorem fidem habemus, per integrum annum eam apparuisse notant: scilicet evanuisse illam anno 1574. & incepisse anno 1572. Adeoque creditu facilimum est Sibyllam aliquam fictitiam, ex proprio suo capitolio addidisse illam descriptionem, facta procul dubio allusione ad id quod in S. S. piis in præmium promittatur corona, stellamque illam quasi indicasse præmium hocce futurum. Quem denique rapiat in admirationem idipsum, quod potuerit Sibylla hæc prædicere tyrannidem, *ἐλευθερωπερασίαν*, & alia Papæ opera, nam id ex S. S. Vet: test. concludi evidenter potest. Papam se evectu-

rum supra DEUM, si id, utiqve etiam officio DEI eum functurum, peccatorum remittendi licentiam sibi arrepturum, vicarium ejus in terra hic acturum.

## §. V.

**A**dhuc objiciunt nobis adversarii, accusantes nos quod tribuere DEO velimus prosopolepsiam, & præscribere ipsi modum revelandi nobis voluntatem suam, afferendo in medium exempla Balaami, Magorum, aliorumque, sicut enim elegit DEUS insignem illum Magum Balaamum nullo habito respectu ad ejus impietatem, ut annuntiaret de futuro Messia, & Magos in Novo T. ita nec mirum est, imò neque negandum DEUM etiam potuisse eligere sibi Prophetas, mulieres hæc fatidicas, *ut per illas hæc omnia mysteria prediceres.* Sed absit, ut nos modum aliquem revelandi DEO præscribamus, quin potius eum tantum modum, quem ipse juxta voluntatis suæ beneplacitum observavit, ex historia & oraculis sacris eruamus, quæ

quæ nos docent, revelationem mysteri-  
 orum fidei, olim sub œconomia Mosai-  
 ca tam solenni dispensatione gentilibus  
 à DEO non contigisse. Stringere nos  
 conantur exemplo Balaami magi, quod  
 sicut DEUS illius non respexit personam,  
 ita nec harum. Ecce simile Dissimile!  
 nihil faciens ad rem, multum enim dif-  
 ferunt hæ prophetiæ, & dubito an ali-  
 quis, nisi *Beotum in terra natus*, lecta  
 prophetia ipsius Balaami, videre aut ju-  
 dicare possit, eam, nisi cæteris Prophe-  
 tarum oraculis illustretur, adeo mani-  
 feste futura Christi mysteria indicasse,  
 ut aliquis tam aperte de iis vaticinatus  
 non sit. In idem recidit quoque exem-  
 plum Magorum in Novo T. habita ra-  
 tione temporis, quia enim sub Nov. T.  
 frangendum esset *μεσότοικον τῆ Φραγμῆ*, &  
 omnes gentes jam essent vocandæ in  
 Ecclesiæ communionem, non mirum est,  
 quod voluerit DEUS Misericors exsta-  
 re in ipsa nativitate Christi quoddam  
 quasi præludium subsecuturæ œcono-  
 miæ: quo sensu etiam Augustinus eos

vocat, *primities gentium*. Nonnulli autumant potuisse Sibyllas e *divino afflatu extraordinario*, & per transitum quendam protulisse hæc vaticinia, quomodo perculsi leguntur quandoque singulari DEI consilio reprobi, ut de Cajapho & Bileamo constat, nec tamen ideo habendas esse DEI Prophetas. Nos vero nec in tantum quidem possumus admittere eas instinctu divino locutas, turpissimum namque dictu foret, DEUM eundem habuisse ministrum cum Satana; Cum dicitur de Cajapho & Bileamo eos prophetasse Divino quodam afflatu, non adeo ab honestate est remotum, ac, si diceres id ipsum contigisse Sibyllis, namposito illos fuisse impios, nunquam tamen Satanæ dicati fuerunt ministerio, ut Sibyllæ.

S. VI.

**N**e autem maria potius exstruere, quam certæ cuidam adherere videamur sententiæ, properemus ad metam, memorando unicum absurdum, quo in medium producto, ultimam ratiociniis eorum imponemus manum. Cui scrupulum non moveret hoc ipsum; Sibylla fuit in arca Noæ & linguam quæ ibi in usu fuit non tenuit, en absolum! id tamen dicendum de hoc scriptore, nam illum nec græcæ multo minus hebrææ fuisse peritum, absurdæ ejus evincunt Etymologiæ quando *ἄδης* græco-

rum derivari putat ab  $\Delta\Gamma\text{N}$ , illudque nomen  
 has quatuor habere significationes ἀνατολή,  
 δύσις, ἄρσις, μεσέμβρια: ortus, occasus, me-  
 ridies, & Boreas. Ut videri potest lib. 2. Si-  
 byllin. in fine. quasi Hebræorum  $\Delta\Gamma\text{N}$ , simile  
 esset Ἀδάμ græcorum & πλεγαδάματον.  
 Possem quidem proferre plures ejusmodi ine-  
 ptias non solum in Hebræa, sed & in græca  
 lingua, ut cum lib. 3. inquit: Δία nominarunt  
 ὅτε οἱ διεπήμφθη. Δευκαλίων πρὸ τῆς δευρο  
 καλεῖν. Sed sufficiat hæc obiter notasse.

§. VII.

**D**ogmata & rationes adversariorum ad sa-  
 tietatem usque & tædium cum expenderi-  
 mus, reliquis quæ hic ἀξιόλογα videntur, non  
 immorabimur: Extra veritatis aleam itaque  
 cum positum sit, supposita esse hæc carmina  
 ab aliquo Christiano, eorum aperiemus men-  
 tem, qui sentiunt Auctorem horum carmi-  
 num fuisse Christianum, & quidem ex idolo-  
 latriâ gentili conversum, quod eruunt non in-  
 fuisse ex versibus lib. 3.

*Huc omnes positis genibus simul ore precemur,  
 Æternam magnamque DEUM Regemque per-  
 ennem, &c.*

*At nos æterna errantes a lege tonantis,  
 Numina facta manibus, factis ornabamus honore.*

In illo autem nominando quam dissonas proferant sententias, nostrum non facimus, hoc tantum notamus; cum neque DEUM, neque hominem aliquem certum, agnoscant auctorem, putamus illis nihil auctoritatis tribuendum, neque valere illa ad refutandum, vel probandum aliquid in rebus fidei, præcipue si cum hæreticis agendum, quamvis procedat id aliquomodo si gentilibus proponantur. Imo tantum abest ut illa carmina, *Oracula*, adpellemus, ut ne Sibyllinorum quidem nomine digna sint, quia nec ab illis profecta, ut audivimus, sed spuria & supposititia sunt. Illa tantum nuncupamus oracula Sibyllina, quæ Romani, sive in capitolio, sive in templo Apollinis Palatini, custodiverant. Nos hisce, & oraculis, & carminibus missis, confugimus ad oraculum nostrum longe certius omnibus oraculis, concessum nobis a DEO T. O. Maximo. Cui sit Gloria in ecclesia per JESUM CHRISTUM in secula seculorum. Hæc sunt, Cordate Lector, quæ super *Oraculis Sibyllinis* hac vice differere volui & potui.

Tu autem,

*Vive, vale: & si quid novisti rectius istis,  
Candidus imperti, si non his utere mecum.*



De  
Viro Juvene;

*Artium & morum cultura integerrimo,*

DN. JACOBO FLACHSENIO,

Magni Parentis Filio egregio,

Diuturna familiaritate probatissimo,

Amico singulari.

**S**enserit obscuris vates obscura  
sub antris

Quid, reperit nostri portio pul-  
cra chori.

Is scriptis in aprica suis secreta re-  
ducit

Atque SIBYLLINO nos docet ore  
loqui:

Obvia non cuivis cinget Iua rem-  
pora Laurus.

Næ! referet verum nulla Si-  
BYLLA magis !!!

*Affectu prolixo canit*

DAN. FUSLENIUS

Juveni,

*Nobilitate generis, Claritate virtutum, Egregia  
eruditione, Eximie decoro atq; conspicuo,*

DN. JACOBO FLACHSENIIO,

Magni & incomparabilis quondam Pa-  
rentis filio haud degeneri, amico  
suo Optumo, Integerrimo.

**F**atidicas vates, & libros, optime  
monstrant,

Ingenii, nobis, hæc monumenta tuis  
Monstrant quod gnauus quævis subli-  
mia tractes.

Monstrant egregias mentis & oris opes.  
Perge igitur constans, cœptis desistere  
noli,

Ipsa tibi virtus præmia magna dabit.

*Sic breuiter, quamvis occupatissimus,  
applaudere voluit*

JOH. Pihlmann, I. F.

